# Königsberger
# Archiv
für
# Naturwiſſenſchaft
und
# Mathematik

von

F. W. Beſſel, K. G. Hagen,
W. H. G. Remer, A. F. Schweigger
und E. F. Wrede.

---

Erſter Band.

Mit einem Kupfer.

---

Königsberg,
bey Friedrich Nicolovius.
1812.

Digitized by Google
Original from
PRINCETON UNIVERSITY

# Prodromus monographiae Cheloniorum auctore Schweigger.

## Pars I.

### Praemonenda.

Prodromum monographiae teſtudinum jam menſe Majo 1809 inſtituto gallico propoſitum tandem typis exſcribendum trado. Animus tum quidem fuit ex auctoritate illuſtriſſimae huius ſocietatis ſub eiusque auſpiciis opus edendi: paulo poſt Regiomontium petens conſilium relinquere coactus ſum, et aliis negotiis omne ſtudium impendere. Jam autem inchoatam telam pertexere conor, et plagulas hasce emitto, ut lectores de materia tractatu difficillima novas obſervationes nobiscum communicent, quibus in opere maiori iconibus illuſtrando gratiſſimo animo utamur. Quare hic non niſi ea protulimus, quae ad animalium diſtinctionem neceſſaria videbantur, ſpecierum tamen novarum aut minus cognitarum accuratiorem adjecimus deſcriptionem, relinquentes ceterum ſynonyma quaedam, quae extricandi nondum occaſio fuit.

Quum iam Regiomonti morarer, cel. Geoffroy, qui una cum V. V. illuſtriſſ. Lacepede et Lamark ex decreto inſtituti gallici opuſculum meum examinandi

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

operam benigniter in ſe ſusceperat, propriam diſſertationem de teſtudinibus mollibus conſcriptam publici juris fecit, iisque nomen Trionyx impoſuit, quia in ſpeciebus hucusque cognitis digiti tres unguiculati et duo mutici inveniuntur. Adoptavi quod dedit nomen et delevi denominationem Amydae e Galeno deſumtam, quam, novum hocce conſtituens genus, in manuſcripto meo tunc temporis ei impoſueram, id quod iam cel. viro monere placuit.*) Ceterum omnium ſpecierum mihi notarum rationem habeam, excepta ſola teſtudine ſquamoſa Bontii (hiſt. nat. Ind. orient. Lib. V. Cap. 30. p. 82. c. fig.) quam iam Schoepfius omiſit, quamque maiori iure ad genus Manis quam ad Chelonios referri omnia ſuadent, nec hancce ſpeciem in inſula Java a ſe unquam viſam eſſe cel. peregrinator Lechenault certiorem me fecit.

Supereſt ut perill. Cuvier ſummam in me benevolentiam grata mente agnoſcam et optimo praeceptori Duméril, qui plane inſigni humanitate muſei publici copiam mihi fecit, quantum debeam palam profitear, gratiasque agam V. V. celeberrimis Bose, Brongniart, Richard, Olivier, Lechenault, qui proprias collectiones maxima liberalitate aperuerunt, aliisque viris, quorum in me merita ſignificandi infra occaſio erit. Tu autem, Lector, vale, et conaminibus noſtris fave.

*) Mémoire sur les tortues molles, nouveau genre sous le nom de Trionyx par Geoffroy-Saint-Hilaire. Annal. du muſ. d'hiſt. natur. Tom. XIV. p. 15.

Caput

Digitized by Google

Original from PRINCETON UNIVERSITY

## Caput I.

### Inſtituti ratio.

Haud eſt quod in prodromo loquar de diverſis Cheloniorum diviſionibus apud alios auctores, ſed comparanda potius videtur eorum ſtructura ſecundum genera, ut exinde methodus noſtra appareat. Ordo nimirum qui a teſtudinibus mollibus ad marinas, paludoſas et terreſtres tranſit, admodum naturalis nobis viſus eſt et egregium hic habemus auctorem cel. Blumenbach. *) Qualis enim a tenera aetate oſſificatio teſtae ſenſim a vertebris ad marginem tendit, coſtis ſic in maiorem latitudinem creſcentibus, talis obſervatur per ſingula genera in adultis, ita quidem ut quoddam genus proprium quaſi oſſificationis loricae momentum repraeſentet. In Trionychibus nimirum licet adultis, coſtae, ſimili modo quam in ceteris Cheloniis neonatis tantummodo prope vertebras connatae ſunt, verſus marginem liberae. Similis eſt conformatio teſtae in Cheloniarum ſpeciebus, etenim in teſtis trium pedum et ultra coſtas prope marginem nondum plane oſſificatas, ſed cartilagine tantum conjunctas vidi; et admodum veriſimile eſt, laminas interſtitiorum coſtarum in omni aetate prope marginem tenues permanere. **)

*) Cel. auctor in libro: Anfangsgründe der Naturgeſchichte teſtudine membranacea ordinem Cheloniorum incipit.

**) Aliter res ſeſe habuit in Chelonia quadam foſſili, quae 13 poll. longa iam teſtam ubique oſſificatam et undique cum margine connatam exhibuit. Cfr. Cuvier sur les oſſemens foſſiles des tortues. Annal. du muſ. d'hiſt. nat. XIV. p. 234.



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Eadem fere eſt teſtae ſtructura in genere noſtro Chelydra, eandemque obſervavimus in Chelyde ſpeciebusque nonnullis Emydum; etenim interſtitia coſtarum prope marginem jam juniori quidem aetate laminis oſſeis expleta vidimus, ſed cuiusvis aetatis tenuiſſima. Pleraeque contra Emydes habent diſcum celerius oſſeſcentem, verſus marginem in adultis ſolidiſſimum et intime cum illo concretum. Breviori etiam tempore in teſtudinibus proprie ſic dictis coſtae ex omni parte coaleſcunt ſenſim ſenſimque intumeſcentes; quum autem, jam contiguae et margine oſſificato, difficilius in maiorem latitudinem extendi poſſint, oſſa curvari et teſtam convexiorem reddi, quam in reliquis ſpeciebus, neceſſe eſt. Tanta enim illis innaſcitur vis nutritionis, ut coſtae, quae prima aetate bene discernebantur, licet dilatatae et ex omni parte conjunctae, paulatim evaneſcant, in unam maſſam colliqueſcentes.

Margo teſtae in omnibus teſtudinibus ſeorſim a diſco oſſeſcit, propria puncta oſſificationis ſibi vindicans. Oſſibus utplurimum viginti quatuor conſtituitur, quorum anticum latiſſimum in omnibus fere Cheloniorum ſpeciebus invenitur, minoris tamen latitudinis in terreſtribus quam aquatilibus. Prima huius oſſis veſtigia jam in Trionychibus, ſaltem in granoſo, japonico et ſubplano, reperiuntur cum oſſiculis quibusdam marginis teſtae poſtici. *) Latera autem annuli marginalis Trionychum cartilaginea permanent, ex obſervatione cel. Geoffroy natatui inſervientia: ceterum omnino et hic, uti in

*) Vid. fig. Trion. ſubplani in Annal. du muſ. d'hiſt. natur. Tom. XIV. tab. 5.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

reliquis ſpeciebus, margo appendicibus coſtarum ſternalibus comparandus erit. In Cheloniarum ſpeciebus margo ex omni parte oſſeus cum ſterno, ligamentis et cartilagine conjungitur, idemque per ſymphyſin ſterno adhaeret in Chelydris, Chelyde, plerisque Emydibus; tandem, oſſificatione aucta, cum ſterno tam intime coaleſcit, ut in ſpeciebus teſtae ſolidiſſimae, qualis teſtudo indica et gigantea vix marginis veſtigium in lateribus ſuperſit, et teſta cum ſterno in cylindrum transformetur. Sic a teſtudinibus mollibus ad terreſtres progredientes, teſtam magis magisque convexam conſpicient.

Eodem ordine, quo lorica ſolidior enaſcitur, eodem et ſterni oſſificatio augetur. Sternum Cheloniorum novem oſſibus formatur, vario modo conjunctis ſecundum genera. Sternum teſtudinum mollium eſt annulus intra corium abdominis receptus et teſtae ligamentis tantum adhaerens. Oſſa nimirum duo parallela, generi Trionyx propria, cum margine antico oſſis ſemilunaris connectuntur, quod in tenerrima aetate, ſimili modo quam in ceteris Cheloniorum ſpeciebus, ex duabus partibus componitur, ut ſternum Trionychum ex decem oſſibus conſtructum rectius forſan diceres. Hoc autem os arcuatum partem ſterni anticam conſtituit. Latera in utraque parte formantur oſſibus duobus obliquis et quadrangularibus, mox coaleſcentibus, quae proceſſus emittunt denticulatos in centrum ſterni et verſus marginem teſtae. Oſſa duo poſteriora arcuata, apice dilatato ſerrato conniventia, annulum claudunt, in centro membranis ac ligamentis expletum. Similiter ſternum conformatum eſt in Cheloniarum ſpeciebus, at oſſa ſunt latiora et centrum ſterni oſſiculo proprio enſiformi anguſtatum, quo



Digitized by Google
Original from PRINCETON UNIVERSITY

ſolidius evadit, licet deſint appendices duae oſſeae, quibus margo ſterni anticus teſtudinum mollium munitus eſt, et cartilagine atque ligamentis cum teſta connectitur. Eadem fere quam in genere Cheloniarum eſt oſſium diſpoſitio in ſterno Chelydrarum, adeo tamen ſibi invicem approximata ſunt, ut annulus anguſtiſſimus, centro fere clauſo, appareat, et ſic medium teneat inter ſtructuram ſterni Cheloniarum atque Emydum. Iſtae nimirum in tenera aetate ſimilem quidem oſſium diſpoſitionem ſibi vindicant ac Cheloniae, mox autem oſſa increſcunt in formam fere quadrangularem, et ſic ſternum angulatum et omnino oſſeum exiſtit, ita ut priſtinae partium figurae vix veſtigia ſuperſint. Omnium ſolidiſſimum autem eſt ſternum teſtudinum proprie ſic dictarum, licet eiusdem originis, et modo ſupra ſignificato intime cum teſta conjungitur.

Hisce expoſitis Chelonios ordine admodum naturali ſuccedere, et recte in plura genera dividi jam liquet, id quod ex ſequentibus etiam magis patebit. Optimi huius diviſionis characteres a loricae ſtructura petuntur, et ſterni conformationem non ſolum eundem in finem, ſed etiam ad Emydes ſubdividendas adhibuimus. Emydes nimirum, quae in rivulis vitam tegunt, ſternum immobile et angulatum habent; quae autem in terra vivunt, ſterno mobili et latiſſimo, utrinque ſaepius rotundato ac operculi inſtar teſtae adpoſito gaudent. Neque tamen alii characteres negligendi ſunt, et quosnam idoneos cenſeamus, uberius exponendum erit. Characteres nimirum uſitatiſſimi, in pedum conformatione quaeſiti, optimi videntur, licet vitae genus exinde definiri non ſemper poſſit, ut plerumque contenditur, quod facillime de-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

monſtrant exempla Cheloniae japonicae et Emydum ſterno mobili praeditarum. Pedes teſtudinum mollium palmati ſunt pedibusque poſterioribus Cheloniarum nec non digitis Chelydrarum, Chelydis et Emydum ſimiles. Singularis autem eſt numeri unguium diverſitas in Emydibus; quem characterem adhibuimus ad ſpecies ſubdividendas; neque minoris momenti cenſemus ſtructuram pedum in reliquis generibus diſtinguendis. Rariſſime enim ſtructura pedum quoad partes eſſentiales variabilis reperitur. *)

Caput Cheloniorum, Chelyde excepta, quae ſtructura maxillarum et labiis ab omnibus differt, communes potius characteres quam ſingulares exhibet. Robuſtius tamen et convexius eſt in teſtudinibus terreſtribus, quam in aquatilibus, ac diverſo modo ſub teſtam retrahitur. — Neque cauda notas ſatis idoneas praebet ad ſpecies diſtinguendas, longitudine tantum et apice, aut inermi aut armato, comparandus.

Contra vero integumentorum communium, quibus corpus veſtitur, maior eſt diverſitas: membranacea in omnibus partibus teſtudinum mollium inveniuntur coriacea et ſcutellorum inſtar diviſa in capite Cheloniarum aliarumque, ſquamoſa in reliquis. Scutella, quae teſtam obtegunt, a cute duritie tantum differre patet, ceterum exemplis teſtudinum mollium et Cheloniae coriaceae haecce ſententia comprobatur. — Cutis et ſcutella loricae, ſemper eo duriora ſunt, quo ſolidior teſta eſt, et quo frequentius animal in terra victitat. Itaque, ſerie a teſtudini-

*) v. c. teſtudo geometrica, pedibus palmatis, unicum huiusmodi exemplum, et Emys punctularia Daud. de qua infra.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

bus mollibus ad terreſtres continuata, ſcutella loricae magis indureſcere et in corpore ſquamarum numerum augeri obſervatur. Quare ab integumentis corporis characteres petere licet, nec ſpernendi ſunt, quos distributio ſcutellorum offert, quanquam ſitu oſſium, ex quibus lorica compoſita eſt, ſitus bractearum non determinatur. *) Tam ſymmetrice enim ſcutella diſpoſita ſunt, ut varietas, e difformitate partium orta, facile agnoſcatur. Rariſſime tamen et non niſi in Chelonia japonica (et in teſtudinibus mollibus, ſi areas ſcutellis aequiparare velis,) distributio ſcutellorum teſtae characteres ſpecificos praebet; in reliquis enim bracteae ſemper in tres lineas distributae ſunt ſitu invariabili. Triplici autem modo ſcutella diſpoſita ſunt in ſterno, ſaepius in duabus lineis parallelis ſibi oppoſita et numero utplurimum duodecim, utrinque ſena: aut inter duo anteriora ſcutellum impar interjectum et tunc ſternum tredecim, rarius undecim, rariſſime, et in Chelydris tantum, novem bracteis obtectum eſt, quem numerum, licet imparem, nunquam in eadem ſpecie variantem vidi, niſi monſtroſitate ex ſitu partium alioquin ſymmetrico ſatis conſpicua. Tertium denique et plane ſingularis bractearum distributionis exemplum in Emyde longicolli et in iſta tantum videre licet, de quo poſtea dicetur. — Situs bractearum marginalium teſtae in ſingulis teſtudinibus parum differt, numerus autem admodum variat in unaquaque fere ſpecie et vix, teſtudine tabulata ſola excepta, de qua infra

*) Emys Adanſonii rariſſimum huiusmodi exemplum exhibet: unumquodque nimirum ſcutellum in latere diſci coſtas duas obtegit.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

ſermo erit, unquam in definitionem recipiendus. Maiorem autem auctoritatem numero ſcutellorum diſci tribuerim, qui tredecim bracteis utplurimum obtectus eſt. Rariſſimum modo praebet exemplum Chelonia Mydas, hunc numerum interdum in quindecim mutari, quem tamen numerum non niſi in Chelonia Caouanna, Emyde cinerea, Teſtudine faſciata et caſra occurrentem in harum characteres ſpecificos recipere non haeſitavi.

Coloris denique et formae loricae ratio habenda eſt, licet caute notandi ſint, neque adeo variant, ut confuſio ſpecierum exinde oriatur, niſi minutiora in discrimen vocentur. Ceterum quoque numerus ſpecierum jam ita increvit, ut huiusmodi notis in tam exigua copia characterum, ſaepius e ſola lorica petendorum, carere non poſſimus.

Hisce praefatis lectores argumenta, quibus ordo noſter innititur, facile dijudicabunt; quare ad enumerationem ſpecierum jam progredior.

## Cap. II.

### Genera et Species.

#### 1. Conſpectus.

I. Trionyx Geoffr.

1. ferox Penn.

β. verrucoſus Bartr.

2. aegyptiacus Geoffr.

3. euphraticus Oliv.

Digitized by Google

Original from PRINCETON UNIVERSITY

4. javanicus mihi.
5. Brongniarti mihi.
6. granoſus Schoepf.
7. ſubplanus Geoffr.

II. Chelonia Brongn.

α. teſta corio obtecta.

1. coriacea Linn.

β. teſta ſquamoſa.

2. japonica Thunb.
3. imbricata Linn.
4. virgata Dumer. ſp. n.
5. Mydas Linn.
6. Caouanna Lacep.

a. } ſp. 3 foſſiles.<br>b.<br>c.

III. Chelydra mihi.

1. lacertina mihi.
2. ſerpentina Linn.

IV. Chelys Dumer.

1. fimbriata Schneid.
2. biſpinoſa Ruiz de Xelva.

V. Emys Dumer.

α. ſterno immobili angulato.

1. porphyrea Daud.
2. ſcripta Schoepf.
3. dorſata Schoepf.
4. naſuta mihi.
5. leproſa Schoepf. ſp. n.
6. cayennenſis mihi.
7. gibba mihi.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

8. expanſa mihi.
9. Dumeriliana mihi.
10. reticulata Boſc.
11. centrata Boſc.
12. ſerrata Daud.
13. discolor Thunb. ſp. n.
14. luteſcens mihi.
15. Geoffroana mihi.
16. planiceps Schneid.
17. pulchella Schoepf.
18. lutaria Linn.
   † melanocephala Daud.
19. punctularia Daud.
20. europaea Schneid.
21. caſpica Gmel.
22. picta Herrm.
23. cinerea Brown.
24. olivacea mihi.
25. galeata Schoepf.
26. ſubrufa Lacep.
   † planitia Gmel.
27. Adanſonii mihi.
28. longicollis Shaw.
29. guttata Schneid.
30. Muhlenbergii Schoepf.
31. Spengleri Wallb.
32. trijuga mihi.
33. Herrmanni mihi.
   β. ſterno oblongo mobili.
34. Retzii Schoepf.
35. ſcorpioidea Lacep.

Digitized by Google
Original from PRINCETON UNIVERSITY

36. penſylvanica Edw.
37. odorata Boſc.
38. caſtanea mihi.
39. amboinenſis Riche.
40. ſubnigra Lacep.
41. Couro Lechen. ſp. n.
42. clauſa Bloch.
43. virgulata Daud.
44. Schneideri mihi.
† polyphemus Bartr.

VI. Teſtudo Brougn.

α. margine teſtae laterali acuto.

*) incertae ſedis.

1. caſra le Vaillant.
2. ſignata Wallb.
3. juvencella Daud.

**) teſtudines verae.

4. areolata Thunb.
5. faſciata Daud.
6. eroſa mihi.
7. angulata Dumer. ſp. n.
8. tabulata Wallb.
9. marginata Schoepf.
10. graeca Linn.
† ſulcata Mill.
11. denticulata Linn.
12. rotunda Latr.
† elegans Sch.
13. ſtellata mihi.
14. geometrica Linn.

Digitized by Google
Original from
PRINCETON UNIVERSITY

15. radiata Shaw.

a. } ſp. 2. foſſiles.
b. }

β. margine teſtae laterali rotundato.

16. indica Voſm.

β. indica Perr.

17. gigantea mihi.

## 2. Enumeratio ſyſtematica Cheloniorum.

### §. 1.

### Chelonii Brongn. Teſtudines Linn.

Character naturalis. Caput ſcutellis aut membrana laevi obtectum, plus minusve ſub teſtam retractile aut ad latera recondendum. Mandibulae utplurimum corneae, ſemper edentulae, integerrimae aut ſerratae. Foramen acuſticum integumentis communibus clauſum. Corpus tetrapodum caudatum. Truncus latior quam altus, ſquamis aut corio obtectus. Vertebrae dorſi novem, ſubcylindricae, in media parte attenuatae arcubus dilatatis connatis. Coſtae octodecim, ſingulae ex vertebrarum duarum ſymphyſi naſcentes, primae et anticae breviſſimae, proceſſuum inſtar proximis adnatae, omnes dilatatae et ſic inter ſe conjunctae, inde immobiles, reſpirationi non inſervientes. Margo teſtae cartilagineus, utplurimum autem oſſeus et ex oſſibus viginti quatuor conſtructus.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Sternum ligamentis aut per ſymphyſin teſtae adnexum, mediante utplurimum proceſſu in utroque latere, Emydibus tamen nonnullis, ſterno mobili praeditis, exceptis; ceterum viſcera pectoris et abdominis tegens.

Scapula cum pelvi intra loricam recepta. Pedes digitati, digitis diſtinctis aut corio involutis, unguiculati aut mutici. Cauda e teſta plerumque prominens. Penis unicus. Ova calcarea. Pulli non larvati.

Obſ. Similem Cheloniorum et avium ſtructuram alio loco fuſius exponam, hic meminiſſe ſufficiet, oſſa quadrata, quibus maxilla inferior cum capite connectitur, roſtrum corneum, ſternum cavitate pectoris longius, appendices coſtarum oſſeas, vertebras dorſi connatas lumborum vix diſtinctas et brachiorum denique ſtructuram inter comparationis momenta pertinere.

Vitae genus et patria. Habitant ſub zona torrida et temperata in mari, fluviis, lacubus, campis, nemoribusque.

Veſcuntur aliae herbis, aliae molluſcis. Character eſſentialis. Corpus tetrapodum caudatum, coſtis in loricam connatis, cum ſterno viſcera tegentem. Maxillae edentulae.

§. 2.

Genus I. Trionyx Geoffr.

Char. nat. Corpus membrana, plerumque laevi, veſtitum. Caput ovale, complanatum. Maxillae corneae, cute laxa, labiis quaſi, circumcinctae. Naſus in cylindrum membranaceum attenuatus. Collum longe protractile. Teſta humiliſſima ovata, cum ſterno cute veſtita:

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

diſcus ſubnudus, *) centro oſſeo et ſcabro, coſtis prope marginem liberis. Margo maiori ex parte membranaceus aut cartilagineus. Sternum in ſingulis locis ſubnudum et ſcabrum, appendicibus duabus oſſeis marginis antici, ceterum formam annuli ovalis exhibens, in centro membranacei, cruribus denticulatis teſtam petens ligamentisque adhaerens. Pedes palmati, digitis utplurimum tribus unguiculatis, duobus inermibus. Cauda in plurimis brevis, vix marginem teſtae excedens.

Vitae genus et patria. Habitant in fluviis et lacubus regionum calidiorum, extra Europam. Veſcuntur molluſcis.

Char. eſſent. Teſta centro oſſeo, coſtis verſus marginem liberis. Margo lateralis utrinque coriaceus. Pedes palmati.

Spec. 1. Trionyx ferox Penn. Philoſ. Transact. Vol. 61. Pars I. p. 266. tab. 10.

Trunco ovato fuſco, ſupra marginem tuberculoſo, ſterno ſublaevi, antice teſtam excedente, cauda exſerta.

Habitat in Carolina et Florida, frequens in fluviis Savannah et Alatamaha.

Obſ. Species nondum ſatis cognita, e deſcriptione ac icone tantum nota. Caput conicum, et membrana ſterni tenuiſſima, alba, reticulato-venoſa dicitur.

Varietas huius ſpeciei vulgo creditur et re vera eſſe videtur:

---

*) Diſcum teſtae in vivo animali cute obtegi et areas poſt mortem tantum in conſpectum venire, certiorem me fecit cel. Olivier, qui Trionychem euphraticum vivum obſervavit; idemque monet cel. Geoffroy. Quibus commotus characteres Trionychum potius a forma arearum majorum petii quam a numero, ſaepius vix conſpicuo.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

β. teſtudo verrucoſa Bartr. Travels trough Carolina p. 175. tab. 4. 5. maxilla cirrhoſa, cirrhis retractilibus.

Habitat in Florida auſtrali et deſcriptione ac icone tantum nota eſt. Monet ill. Geoffroy *), hancce teſtudinem ad genus Chelydis pertinere, contrarium autem edocet icon, licet rudis. Ceterum Bartram ipſe obſervat teſtam, vertebris et coſtis exceptis, cartilagineam ac mollem eſſe atque maxillam ſuperiorem mandibulae falconis inſtar arcuatam et robuſtam. Areae vertebrales male delineatae ſunt, laterales non conſpicuae, ſed cute obtectae, quales in vivo animali ſpectantur. Pedes anteriores unguibus quatuor, poſteriores unguibus quinque muniti ſunt in icone, quae tamen forſitan error ſculptoris eſt, ſaltem in deſcriptione animalis de pedibus ſermo non fit.

Spec. 2. Trionyx aegyptiacus Geoffr. Annal. du muſ. d'hiſt. nat. XIV. p. 12. tab. 1 et 2.

Fuſcus, albido adſperſus, diſco oſſeo ſuborbiculari, margine teſtae antico tuberculoſo, area vertebrali prima oblonga latiſſima, ſterno caudaque ſcuto brevioribus.

Deſcript. **) Caput globoſum, fronte depreſſa: tubus narium truncatus brevis. Diſcus oſſeus ſuborbicularis, areis vertebralibus octo, lateralibus ſedecim, utrinque octo, quarum poſticae contiguae. Sternum albidum,

*) Annal. du muſ. d'hiſt. nat. Tom. XIV. p. 18.

**) Taceam numerum dentium, quibus oſſa ſterni connectuntur et appendices oſſeas parallelas aut divergentes, quum pullos tantum ante oculos habuerim, et ſtructuram harum partium aetate provectiori mutari admodum veriſimile ſit.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

corporibus oſſium lateralium et poſteriorum aſperis: lobus poſterior retuſus. Cauda craſſa.

Habitat in Nilo. Vidi in muſeo Pariſienſi ſpecimina quatuor variae aetatis.

Spec. 3. Trionyx euphraticus Oliv. Voyag. en Perſe III. 453. tab. 41.

Viridi-fuſcus, ſcuto ovali laevi, ſterno breviſſimo utrinque acuto, cauda tereti, loricam longe excedente.

Deſcr. Maxillae nudae. (?) Sternum laeve, albidum. Margo teſtae laevis.

Habitat in Euphrate. Vidi figuram a cel. Olivier in itinere delineatam et deſcriptionem, quas benevole mecum communicavit.

Spec. 4. Trionyx javanicus mihi. — Annal. du muſ. d'hiſt. nat. XIV. tab. 3.

Fuſcus, trunco orbiculari, margine antico ſuperne tuberculoſo, area vertebrali prima quinquangulari, marginis nulla.

Deſcr. Caput oblongum, tubus narium cylindricus, longe prominens. Diſcus oſſeus orbicularis, ſcaber, lineis elevatis irregularibus longitudinalibus. Areae vertebrales ſeptem, laterales utrinque octo, poſticae contiguae. Margo laevis, ſingulis tamen tuberculis ſupra collum in lineam transverſalem diſpoſitis. Sternum ſublaeve, lobus poſticus integer. Cauda acuta, ſcuti marginem aequans.

Habitat in amnibus inſulae Javae. Animal voraciſſimum, incolis ſacrum ſub nomine Boulouſſe. Ad longitudinem pedum 2 increſcit.

Vidi ſpecimen a cel. Lechenault muſeo Pariſienſi traditum et deſcriptionem, quam in itinere exaraverat, inſpiciendam dedit amiciſſimus vir.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Spec. 5. Trionyx Brongniarti mihi. — Annal. du muſ. d'hiſt. nat. XIV. tab. 4.

Fuſcus, trunco ovali, area marginali antica obcordata, vertebrali prima quinquangulari.

Deſcr. Areae vertebrales ſex, laterales utrinque ſeptem, quarum poſticae contiguae. Cauda craſſa, vix exſerta. (Coſtae poſticae ſubliberae in ſpecimine noſtro 8 poll. longo.)

Species media inter Trion. javanicum et granoſum. Patria ignota.

Obſ. Speciem in manuſcripto meo ſupra citato Amydam Brongniarti appellaveram, quam humaniſſimus vir ea, qua in me fuit benevolentia, e propria collectione deſcribendam mecum communicaverat, poſthac muſeo publico Pariſienſi dono dedit. Ill. Geoffroy, haecce oblitus, nomen Trionychis carinati ſpeciei impoſuit; non haeſitavi itaque quin reſtituam denominationem in memoriam ſummi viri et ipſi amiciſſimi.

Spec. 6. Trionyx granoſus Schoepf. teſt. p. 148. tab. 30. A. B.

Fuſcus, trunco ovali, diſco ſternoque granoſo-ſcabris, area marginali antica transverſa, prima vertebrali oblonga latiſſima, cauda tereti vix exſerta.

Deſcr. Area ovata marginis teſtae antici; ſeptem aut octo vertebrales et octo in utroque latere, quarum poſticae quatuor aut ſex contiguae. Areae irregulares marginem teſtae poſticum ſaepius occupant. Sternum ſcabrum ſeptem in locis, corporibus oſſium nimirum, quibus annulus conſtituitur, alioquin glabrum. Cauda breviſſima, apice corneo.

Habitat in India orientali. (Sonnerat.) Vidi figuram,

quam

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

quam dedit Schoepf. cum deſcriptione et ſpecimina ejusdem auctoris Berolini in muſeo ſocietatis naturae ſcrutatorum.

Spec. 7. Trionyx ſubplanus Geoffr. Annal. du muſ. d'hiſt. nat. XIV. tab. 5. fig. 2.

Diſco teſtae humiliſſimo orbiculari oſſeo, punctato ſcabro, area marginali antica transverſa, coſtis maxima ex parte connatis.

Deſcr. Diſcus ſcaber, non lineatus. Areae vertebrales octo, quarum antica ſexangularis anguſta, et octo in utroque latere, non contiguae, ſed omnes, interpoſitis areis vertebralibus, diſcretae.

Patria ignota.

Obſ. Animal e teſta tantummodo notum eſt et area marginali antica oſſea ac ſcabra accedit ad Trionychem Brongniarti et granoſum; diverſum autem eſſe jam ambitus diſci edocet, in iſtis ſemper minor, licet majores ſint.

Vidi teſtam, qua uſus cel. Geoffroy.

## §. 3.

### Genus II. Chelonia Brongn.

Char. nat. Corpus membrana ſubnuda veſtitum. Caput globoſum, naſo in iuniori aetate in cylindrum brevem protracto. Maxillae corneae nudae, integrae aut ſerratae, apice uncinato, ſuperior inferiorem pyxidum inſtar claudens. Collum breve. Teſta demiſſe convexa, ovato-cordata, corio aut ſcutellis obtecta: diſcus in centro oſſeus: coſtae prope marginem teſtae lamina tenui aut cartilagine conjunctae: margo ex omni parte oſſeus.



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Sternum annulus oſſeus, in centro oſſiculo proprio et cartilagine clauſus, bracteis corneis aut corio obtectus et cartilagine atque ligamentis teſtae adnexus. Pedes pinniformes, anteriores poſterioribus multo longiores, unguiculati aut mutici. Cauda craſſa brevis.

Vitae genus et patria. Habitant pleraeque in mari, (unica ſpecies in aqua dulci) ſub zona torrida et usque ad gradum 50 latit. — Veſcuntur aliae herbis (zoſtera marina et algis), aliae molluſcis.

Char. eſſent. Margo teſtae oſſeus. Pedes pinniformes, anteriores poſterioribus multo longiores.

*) Teſta corio obtecta, maxilla ſuperior verſus apicem utrinque ſinuata, pedes mutici.

Spec. 1. Chelonia coriacea Linn. ſyſt. nat. ed. XII. 350. — Lacep. quad. ovip. tab. 2. fig. 2.

Teſta oblonga, longitudinaliter profunde ſulcata, ſulcis ſupra caudam conniventibus.

Habitat in mari mediterraneo et in Oceano. Vidi ſpecimina duo adulta pullosque duos in muſeo Pariſienſi.

Obſ. Hancce ſpeciem genere a reliquis differre admodum veriſimile eſt, quare doleo, occaſionem ſceletum examinandi nondum mihi datam eſſe. — Loco unguium pedes ſquama coriacea muniti ſunt.

**) Teſta ſquamoſa, maxilla ſuperior integra, pedes unguiculati.

Spec. 2. Chelonia japonica Thunb. Nov. act. ſucc. VIII. p. 178. tab. 7. fig. 1.

Teſta ſubplana, excelſe carinata, carina continua, ſcutellorum vertebralium triplici ſerie.

Deſcr. Spithamea, quincuplici ſerie ſcutellorum

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

diſci. Teſta nigra, ovato-ſubrotunda. Sternum album. Caput trigonum, vertice depreſſo plano.

Habitat in lacubus Iaponiae. — Vidi figuram et deſcriptionem, quas dedit ill. Thunberg.; proprias etiam obſervationes de hac ſpecie benevole mecum communicavit.

Spec. 3. Chelonia imbricata Linn. ſyſt. nat. ed. XII. p. 350. — Schoepf. teſt. tab. 18. A. B.

Teſta elliptica, declive carinata, ſcutellis diſci variegatis imbricatis, roſtro arcuato integro.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, ſterni duodecim. Variat unguium numerus.

Habitat in Oceano americano et aſiatico.

Vidi plurima ſpecimina.

Spec. 4. Chelonia virgata Dumer. in muſ. Pariſ. — Bruce Abyſſ. tab. 42.

Teſta ovata aut orbiculari, declive carinata, ſcutellis adpreſſis fuſcis luteo-variegatis inermibus, ſterno tredecim areis.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis 24—26. Simillima in juniori aetate Cheloniae Mydas quoad formam teſtae et ſcutellorum: ſubſtantia bractearum autem fere eadem eſt ac in Chelonia imbricata.

Habitat in mari ſub zona torrida.

Vidi ſpecimina ſex variae aetatis in muſeo Pariſienſi.

Spec. 5. Chelonia Mydas Linn. ſyſt. nat. ed. XII. p. 350. — Lacep. quadr. ovip. tab. 1. fig. 1.

Teſta cordata unicolore, declive carinata, ſcutellis diſci planis inermibus, ſterno tredecim areis, maxilla inferiore profunde ſerrata.



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Deſcr. Scutella diſci tredecim, rariſſime quindecim. Bracteae marginales 24 — 25. Variat numerus unguium.

Habitat in mari ſub zona torrida, raro in regionibus temperatis. — Vidi plurima ſpecimina.

Spec. 6. Chelonia Caouanna Lacep. quadr. ovip. — Schoepf. teſt. tab. 16.

Teſta convexa, ſcutellis diſci quindecim, vertebralibus gibboſis, maxillis ſerratis.

Deſcr. Scutella ſterni duodecim. Pedes plerumque unguibus duobus armati.

Habitat in mari, frequens prope Sardiniam (Cetti) et Indiam occidentalem. (Catesby.)

Vidi plurima ſpecimina.

Obſ. Addendae ſpecies tres foſſiles, de quibus ſtrenue egit ſummus Cuvier (Annal. du muſ. d'hiſt. nat. Tom. XIV. pag. 229.):

a) Chelonia prope Bruxellam foſſilis, quae jam in tenera aetate teſtam ubique oſſeam exhibuit. — Vidi ſpecimen unicum Bruxellae.

b) Chelonia prope Maeſtricht foſſilis, in qua diſcus oſſeus teſtae multo anguſtior eſt quam in reliquis Cheloniarum ſpeciebus licet maioribus.

c) Chelonia prope Glaronam foſſilis in monte Plattenberg, ſed nondum ſatis cognita eſt.

§. 4.

Genus III. Chelydra mihi.

Char. nat. Corpus membrana rugoſa, hinc inde ſqamoſa obtectum. Caput trigonum. Maxillae corneae

Digitized by Google
Original from
PRINCETON UNIVERSITY

nudae, integrae aut ſerratae, apice incurvo, ſuperior inferiorem pyxidum inſtar claudens. Collum longe protractile. Teſta ſquamoſa, convexa, oblonga: diſcus oſſeus: interſtitia coſtarum prope marginem lamina tenuiſſima expleta: margo ex omni parte oſſeus. Sternum cruciforme, annulus nimirum oſſeus anguſtiſſimus, per ſymphyſin et proprii oſſis adjutorio teſtae adnexus, in centro oſſiculo fere clauſus, ceterum ſimiliter conformatum quam in Cheloniarum ſpeciebus. Pedes palmati, unguiculati. Cauda longitudinem teſtae ſubaequans, criſta longitudinali munita.

Vitae genus et patria. Habitant in paludoſis. Veſcuntur molluſcis?

Char. eſſent. Margo teſtae oſſeus. Sternum cruciforme, centro coriaceo. Roſtrum corneum.

Spec. 1. Chelydra lacertina mihi.

Teſta oblonga, ſcutellis vertebralibus planis, lateralibus carinatis, margine poſtico obtuſe ſex dentato.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, ſterni novem. Digiti palmarum quinque unguiculati, plantarum digitus quintus inermis. Cauda longiſſima, criſta ſerrata longitudinali.

Patria ignota. Vidi ſpecimen in muſeo Pariſienſi.

Spec. 2. Chelydra ſerpentina Linn. muſ. Adolph. Frid. II. 36. — Schoepf. teſt. tab. 6.

Teſta oblonga, trifariam carinato-ſpinoſa, margine poſtico acute 6—8 dentato.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis vigintiquinque, ſterni novem. Digiti palmarum quinque un-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

guiculati, plantarum digitus quintus inermis. Cauda longiſſima, criſta longitudinali ſerrata. Similis itaque praecedenti eſt, quae tamen characteribus ſupra allatis ſatis differt.

Habitat in aquoſis Americae ſeptentrionalis (Schoepf. Bosc.), in China et Barbaria. (? Linn.) Vidi tria ſpecimina.

## §. 5.

### Genus IV. Chelys Dumer.

Char. nat. Corpus cute verrucoſa veſtitum. Caput depreſſum. Roſtrum planum latiſſimum, mandibulae cute obtectae. Tubus narium longiſſimus. Collum craſſum breve. Teſta oblonga ſquamoſa gibba: diſcus oſſeus: lamina interſtitiorum coſtarum prope marginem tenuiſſima: margo ex omni parte oſſeus. Sternum dilatatum ſolidum, ſquamoſum, teſtae per ſymphyſin adhaerens. Pedes palmati unguiculati. Cauda vix exſerta.

Vitae genus et patria. Habitant in paludoſis regionum calidiorum. Veſcuntur molluſcis.

Char. eſſent. Teſta ſquamoſa oſſea. Sternum dilatatum. Roſtrum planum. Pedes palmati.

Spec. 1. Chelys fimbriata Schneid. Schildkr. p. 349. — Schoepf. teſt. tab. 21.

Teſta oblonga, triſariam carinato-ſpinoſa, fronte utrinque alata, collo craſſo fimbriato, ſterno tredecim areis.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis 25. Sternum obovatum, poſtice bifidum. Tubus narium

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

longiſſimus. Pedes palmati, digiti palmarum quinque unguiculati, plantarum digitus quintus inermis. Cauda verrucoſa, teres, obtuſa, ſcuti marginem vix excedens.

Habitat in Surinamia, in paludoſis, (Bruguière. Schneider.) in Cayenna. (Richard.) — Vidi plura ſpecimina in muſeo Pariſienſi et Berolini.

Spec. 2. Chelys biſpinoſa Ruiz de Xelva. — Daud. rept. II. p. 94.

Teſta oblonga, trifariam carinato-ſpinoſa, fronte laevi, collo fimbriato, ſterno duodecim areis.

Habitat in Braſilia.

Obſ. Species haecce e deſcriptione tantum nota eſt, nec ſatis accurate deſcripta. Scutella teſtae ſubimbricata et rugoſa in definitione ſpeciei dicuntur, marginalia in furcam ſupra caudam diſpoſita, qui tamen characteres et in Chelyde fimbriata inveniuntur. Ceterum notis ſupra allatis ſatis differre videtur, niſi error adeſt in deſcriptione quam dedit Daudin ex litt. Ruiz de Xelva de ſpecimine $1\frac{1}{2}$ ped. longo.

†) Chelys ſpec. nov.? Geoffr. annal. du muſ. d'hiſt. nat. XIV. pag. 19.

Scutellis lateralibus ſubplanis, collo unicolore. — Pullus primae aetatis, qui in muſeo Pariſienſi ſervatur.

Fateor me hoc ſpecimen quidem vidiſſe, nec tamen tunc temporis diverſum habuiſſe, et quum ill. Geoffroy de eo ipſe dubitet, in numerum ſpecierum non recepi.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

§. 6.

## Genus V. Emys Dumer.

**Char. nat.** Corpus aut nudum, aut papilloſum aut ſquamulis obtectum. Caput ſub teſtam retractile, aut ad latera recondendum, ſquamoſum aut nudum. Maxillae corneae, plerumque integrae, ſuperior inferiorem pyxidum inſtar claudens. Collum utplurimum nudum et teres. Teſta ſquamoſa, in plurimis convexa: coſtae undique coalitae ſuturis parallelis, et corpora coſtarum plus minusve diſtincta. Sternum dilatatum ſolidum, ſquamoſum, uni-bi-aut trivalve, ligamentis, per ſymphyſin aut ſuturis oſſeis teſtae adnexum. Pedes digitati, palmati, rarius ſubliberi, unguiculati. Ungues acuti. Cauda teſta brevior.

**Vitae genus et patria.** Habitant in paludoſis, rarius in campis, pleraeque in regionibus calidioribus. — Veſcuntur aliae herbis, aliae molluſcis.

**Char. eſſent.** Digiti diſtincti. Teſta ſquamoſa oſſea. Sternum dilatatum ſolidum. Roſtrum corneum.

a) *Sterno immobili angulato.* Habitant in paludoſis.

**Spec. 1. Emys porphyrea** Daud. | rept. II. p. 142.

pedibus palmatis —, teſta orbiculari plana, rubro-ochracea, maculis viridi-obſcuris fulvisque adſperſa, cauda longitudinaliter tuberculoſa.

**Deſcr.** Corpus pallide cinereum, verrucoſum, tuberculis quatuor ſquamoſis ad anum. Margo teſtae anterior ſinuatus, bracteis duabus anticis acutis. Sternum fuſcum.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Habitat in nova Hollandia. (Daudin.) — Non vidi.

Spec. 2. Emys ſcripta Schoepf. teſt. pag. 16. tab. 3. fig. 4. 5.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta humili ovata, characteribus notata, cauda exſerta verrucoſa.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice biſidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, anticum anguſtiſſimum. Caput glabrum complanatum, naſo leviter protracto. Palmarum digiti quinque unguiculati.

Patria ignota.

Vidi ſpecimen, quo uſus Schoepf., in muſeo Pariſienſi.

Spec. 3. Emys dorſata Schoepf. teſt. pag. 136. — Lacep. quadr. ovip. tab. 8. f. 2.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ovali plana, excelſe carinata, ſcabra.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice leviter ſinuatum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella nigro-flavoque marmorata, in iuniori aetate albida, diſci tredecim, marginis viginti quinque, anticum anguſtiſſimum. Dorſum cultratum carina criſtae inſtar proſiliente. Cutis rugoſa, ſquamis minutis. Caput glabrum, planiuſculum, naſo leviter protracto. Pedes pentadactyli, palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda vix exſerta.

Habitat in Surinamia. (Daudin.) — Vidi ſpecimina

Digitized by Google

Original from
PRINCETON UNIVERSITY

duo in muſeo Pariſienſi, tertium communicavit cél Thunberg.

Spec. 4. Emys naſuta mihi.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ovali plana, ſcutellis rugoſis, capite ſquamoſo, tubo narium cylindrico.

Deſcr. Sternum tredecim areis, antice rotundatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, anticum anguſtiſſimum. Palmarum digiti quinque unguiculati. Caput ſquamis numeroſiſſimis munitum.

Patria ignota.

Vidi ſpecimen unicum in muſeo Pariſienſi.

Spec. 5. Emys leproſa Schoepf.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ovali humili, leviter carinata, obſcure flavida, tuberculis calcareis verrucoſa.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, quorum anticum ceteris minus. Caput glabrum complanatum. Collum papilloſum. Pedes ſquamoſi. Cauda longe exſerta.

Patria ignota. — Vidi ſpecimen, quod olim Hagae Comitum ſervabatur, in muſeo Pariſienſi, poſthac in manuſcr. ineditis Schoepfii, quae b. a Schreber mecum communicavit, ejusdem figuram ac deſcriptionem inveni ſub nomine hic adoptato.

Spec. 6. Emys cayennenſis mihi.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

ovali convexa, ſcutellis dorſalibus tuberculato-carinatis, ſterni corpore anguſto, areis tredecim.

Deſcr. Sternum antice truncatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, laevia, flavo-viridia, angulis poſticis nigris. Bracteae marginales viginti quatuor, duae anticae breviores, ſinum teſtae ſupra collum conſtituentes. Caput bracteis membranaceis obtectum, fuſcum, maculis 2 luteis in vertice. Palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda vix exſerta.

Habitat in Cayenna. Vidi ſpecimina tria, quorum unum in muſeo Pariſienſi ſervatur, alterum in muſeo Erlangenſi, tertium in proprio.

Spec. 7. Emys gibba mihi.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ovali nigerrima, humili, ſcutellis vertebralibus poſticis tuberculato-carinatis, antico complanato declivi.

Deſcr. Sternum tredecim areis, antice rotundatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quatuor, anticum anguſtiſſimum longum. Caput complanatum glabrum, ſquamis membranaceis. Collum breve teres. Palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda vix exſerta.

Patria ignota. — Vidi ſpecimen in muſeo Pariſienſi.

Spec. 8. Emys expanſa mihi.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta depreſſa fuſca, ſcutellis omnibus planis, margine latiſſimo horizontali, naſo longitudinaliter ſulcato, maxillis integris.

Deſcr. Sternum tredecim areis, antice rotunda-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

tum, ſubtruncatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, ſubquadrata, marginis viginti quatuor, quorum duo antica breviora. Caput convexum, glabrum, ſquamis membranaceis. Collum longum, craſſum. Palmarum digiti quinque unguiculati.

Habitat in America meridionali. — Vidi ſpecimina tria in muſeo Pariſienſi.

Spec. 9. Emys Dumeriliana mihi.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta demiſſe convexa nigra, ſcutellis dorſalibus planis, naſo convexo glaberrimo, maxilla ſuperiore ſinuato-dentata, inferiore uncinata acuta integra.

Deſcr. Sternum latiſſimum tredecim areis, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim. Bracteae marginales viginti quatuor, poſticae majores ſubhorizontales, duae anticae ceteris minores. Caput globoſum, cum corpore nudum. — Similis quoad teſtam praecedenti, ceterum toto coelo diverſa.

Habitat in America meridionali. — Dixi ſpeciem in memoriam praeceptoris mei dilectiſſimi.

Spec. 10. Emys reticulata Boſc. Nouv. dict. d'hiſt. nat. Vol. 22. p. 263. c. fig.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta oblonga plana fuſca, lineis luteis reticulata, ſcutellis rugoſo-radiatis, margine integerrimo.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice ſubtruncatum, poſtice ſinuatum, intime cum teſta connatum. Scutella diſci tredecin, marginis viginti quinque, quorum anticum minimum. Caput complanatum, glabrum. Palmarum digiti quinque unguiculati.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Habitat in uliginoſis Carolinae. (Boſc.) Vidi ſpecimen cel. auctoris.

Spec. 11. Emys centrata Boſc. Nouv. dict. d'hiſt. nat. Vol. 22. p. 264. — Shaw Gen. Zool. tab. 9.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ovali ſubconvexa, leviter tuberculato-carinata, ſcutellis pallide flavis, zonis fuſcis concentricis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, quorum anticum ceteris anguſtius. Palmarum digiti quinque unguiculati. Caput complanatum, glabrum. Cauda exſerta. — Carina in juniori aetate continua.

Habitat in America ſeptentrionali. Vidi ſpecimina ſex variae aetatis in muſ. Pariſienſi et cel. Boſc.

Spec. 12. Emys ſerrata Daud. rept. II. p. 148. (deſcr. et fig. malae.) — Shaw. gen. Zool. tab. 4.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta oblonga, demiſſe carinata, ſcutellis ſcabris rugis radiantibus, marginalibus poſticis bifidis aut ſinuatis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice ſinuato-truncatum, poſtice bifidum, ſuturis oſſeis cum teſta connatum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, quorum anticum anguſtiſſimum longum. Palmarum digiti quinque unguiculati. — Teſta albida aut nigro marmorata.

Habitat in America ſeptentrionali. (Daud. ex manuſcr. Boſcii.) Vidi teſtas octo in muſeo Pariſienſi.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

*) Spec. ſub nro. 33. allata: Emys Herrmanni ob ſimilem pedum ſtructuram praecedentibus adjungi poteſt.

Spec. 13. Emys discolor. Thunb. in litt. digitis diſtinctis unguiculatis —, teſta dorſo complanato, lateribus declivis, ſordide flava, faſciis variis irregularibus fuſcis.

Deſcr. Sternum tredecim areis, latiſſimum, antice truncatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, vertebralia ſubcarinata: marginis viginti quinque, ſubtus luteo variegata, lateribus prope collum reflexis. Caput —

Patria ignota. Vidi figuram, quam mecum communicavit ill. Thunberg.

Spec. 14. Emys luteſcens mihi.
pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ſordide lutea oblonga, ventricoſa, in dorſo complanata, ſterno fuſco duodecim areis.

Deſcr. Sternum antice truncatum, ſinuatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, ſubquadrata, marginis viginti quinque, anticum ceteris minus. Caput complanatum, glaberrimum. Palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda brevis.

Patria ignota. Vidi ſpecimen unicum in muſeo Pariſienſi.

Spec. 15. Emys Geoffroana mihi.
pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta demiſſe convexa nigra, ſcutellis dorſalibus planis, margine laterali revoluto.

Deſcr. Sternum tredecim areis, antice trunca-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

tum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quatuor, quorum anticum lineare, longiſſimum.

Habitat in Braſilia. Vidi ſpecimen in muſeo Pariſienſi, quod ill. Geoffroy Lisbonae in muſeo regio collegerat.

Spec. 16. Emys planiceps Schneid. Schrift d. Berl. Geſ. naturf. Fr. IV. B. 3. St. p. 259. c. fig.

pedibus palmatis, plantarum rudimento digiti quinti nullo aut ſquama, teſta oblonga complanata, margine laterali reflexo, ſcutellis dorſalibus concavis.

Deſcr. Sternum tredecim areis, antice truncatum, poſtice bifidum, cartilagine cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, quorum anticum anguſtiſſimum, ceteris paululum longius. Caput depreſſum, glabrum, ad latera recondendum. Palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda exſerta.

Habitat in India orientali (Schneider), Cayennae. (Martin.) — Vidi ſpecimina duo in muſeo Pariſienſi.

Spec. 17. Emys pulchella Schoepf. teſt. p. 113. tab. 26.

pedibus palmatis, plantarum rudimento digiti quinti inermi aut nullo, teſta ovali humili, leviter carinata, ſcutellis pallide fuſcis, verſus marginem luteo radiatis, areolis circumſcriptis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice obtuſum, leviſſime ſinuatum, cartilagine teſtae adnexum. Scutella diſci tredecim, in adultis ſubgibba, areolis depreſſis. Bracteae marginales viginti

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

quinque, quarum antica minor quadrata. Caput luteo-maculatum, planiuſculum. Pedum anteriorum digiti quinque ſubpalmati, unguiculati. Cauda teſtam longe excedens.

Patria ignota. — Vidi ſpecimina tria in muſeo Pariſienſi.

Spec. 18. Emys lutaria L. ſyſt. nat. ed. XII. p. 352. — Lacep. quadr. ovip. tab. 3. f. 1.

pedibus palmatis, plantarum rudimento digiti quinti inermi, teſta planiuſcula nigricante, ſcutellis irregulariter ſulcatis, ſterno duodecim areis.

Deſcr. Sternum antice ſinuatum, poſtice truncatum, retuſum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, quorum anticum ceteris minus. Caput nigrum, fronte complanata. Collum ſparſim luteo-maculatum. Palmarum digiti quinque: exterior in nonnullis ſpeciminibus inermis. Corpus nigrum. Cauda teſtam longe excedens.

Habitat in Gallia auſtrali et ?, teſte ill. Lacepede, in Sileſia, India orientali et in Japonia. Vidi plura ſpecimina et viva.

†) Emys melanocephala Daud. rept. II. 128. pedibus — teſta caſtanea, ſterno luteo-fuſco, corpore nigro, cauda brevi.

Deſcr. Caput nigrum, linea lutea juxta oculos. Teſta 3 poll. 9 lin. longa, 3 poll. lata. — Dubia ſpecies.

Habitat in inſulis Mollucc is et Philippinis. (Daud. ex litt. Vau Erneſt. — Vidi deſcriptionem juſto breviorem.

Spec.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Spec. 19. Emys punctularia Daud. rept. II. 249.

pedibus ſubclavatis palmatis, palmarum quinque plantarum quatuor unguiculatis, teſta convexa, obſcura, carinata, ſcutellis dorſalibus mediis complanatis, ceteris declivibus, collo nigricante, maculis luteis adſperſo.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice ſinuato-truncatum, poſtice ſubbifidum. Scutella diſci tredecim, ſubquadrata, marginis viginti quinque, quorum anticum anguſtius, breviſſimum. Caput glabrum, lineolis luteis ornatum. Collum longiſſimum. Cauda vix exſerta. — Quoad pedum conformationem ſpecies haecce media eſt inter Emydes et Teſtudines, neque tamen teſtudinibus adnumeranda, quod male egit cel. Daudin, quum ungues acuti, collum longe protractile et caput glabrum atque depreſſum ſit.

Habitat Cayennae. (Daudin. Richard.) Vidi ſpecimen, quo uſus Daudin, in muſeo Pariſienſi.

Spec. 20. Emys europaea Schneid. Schildkr. p. 323. — Schoepf. teſt. tab. 1.

digitis palmatis, palmarum quinque, plantarum quatuor unguiculatis, teſta planiuſcula ovali fuſca, luteo radiatim adſperſa, areolis oblitteratis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice rotundatum, retuſum, poſtice truncatum ſubbifidum, cartilagine teſtae adnexum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, quorum anticum ceteris minus. Corpus nigrum, luteo adſperſum. Caput fronte complanata. Digiti pedum anteriorum ſemipalmati, plantae palmatae. Cauda teſtam dimidiam aequans.

Habitat in Boruſſia (Wulff), Polonia (Bernouilli),



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Italia et Sardinia (Tozzetti et Cetti), Hungaria (Marſigli), rara in Gallia et? teſte ill. Lacepede in America et inſula adſcenſionis. Vidi plurima ſpecimina.

Spec. 21. Emys caſpica Gmel. it. ruſſ. III. p. 59. tab. 10 et 11.

digitis palmatis, palmarum quinque, plantarum quatuor unguiculatis, teſta orbiculari convexa, nigro-viridi, ſcutellis complanatis, capite ſquamato, cauda nuda.

Deſcr. Sternum —. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, quorum anticum ceteris minus.

Habitat ad mare caſpicum, in rivulis Puſahat ad urbem Schamahir. — Species nondum ſatis cognita. Non vidi.

Spec. 22. Emys picta Herrm. Schoepf. teſt. p. 20. tab. 4.

digitis palmatis, palmarum quinque, plantarum quatuor unguiculatis, teſta oblonga, demiſſe convexa, ſcutellis laeviſſimis, viridi-fuſcis, luteo-marginatis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, longitudinem teſtae ſubaequans, utrinque truncatum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, faſciis irregularibus marginata. Bracteae marginis viginti quinque, antica linearis, apice bifido. Caput depreſſum nigricans, luteo variegatum. Pedes anteriores ſemipalmati, plantae palmatae. Cauda teſtam longe excedens.

Habitat in America ſeptentrionali. (Schoepf.) — Vidi teſtam in muſeo Pariſienſi.

Spec. 23. Emys cinerea Brown. illuſtr. of Zool. p. 115, tab. 48.

pedibus palmatis, palmarum plantarumque digitis qui-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

nis unguiculatis, teſta orbiculari plana laeviſſima, ſcutellis cinereis, albido marginatis, diſci quindecim.

Deſcr. Sternum duodecim areis, teſta multo brevius, ligamentisque adnexum, lobis rotundatis, poſtico anguſtiore. Scutella diſci faſciis rectilineis marginata: marginis viginti quatuor, quorum duo antica minora, elliptica, obliqua. Caput depreſſum, cinereum, nigro lineatum. Cauda exſerta.

Habitat in America ſeptentrionali. Vidi figuram pulli cum deſcriptione.

Spec. 24. Emys olivacea mihi.

pedibus — teſta oblonga plana olivacea, ſcutellis rugoſis ſulcatis, vertebralibus ſubgibbis, marginalibus anticis quadratis rectis.

Deſcr. Scutella marginis teſtae viginti quatuor, duo antica lateralibus maiora, aequalia. Scutella diſci tredecim, rugoſa, rugis radiantibus, olivacea: areolae concolores, ſulcis parallelis circumſcriptae.

Habitat in ſabuloſis Nigritiae. Vidi teſtam ſine ſterno ab Adanſonio collectam in muſeo Pariſienſi.

Spec. 25. Emys galeata Schoepf. teſt. p. 12. tab. 3. fig. 1.

pedibus palmatis, palmarum plantarumque digitis quinis unguiculatis, teſta oblonga plana cinerea, nigro adſperſa, ſcutellis ſcabris, dorſalibus acute carinitas, ſterno poſtice truncato.

Deſcr. Sternum tredecim areis. Scutella diſci tredecim, punctis elevatis radiatis ſcabris. Bracteae marginales viginti quatuor: duae anticae quadratae minores rectae. Caput laeve, frons complanata, vertex ſcutello ovali clypei inſtar munitus.



Digitized by Google · Original from PRINCETON UNIVERSITY

Habitat in India orientali. (Schoepf.) Vidi ſpecimen cel. auct. in muſ. ſociet. nat. ſcrutat. Berol.

Spec. 26. Emys ſubrufa Lacep. quadr. ovip. tab. 11. fig. 1.

pedibus palmatis, palmarum plantarumque digitis quinis unguiculatis, teſta oblonga humili unicolore, ſcutellis ſulcatis glabris, dorſalibus complanatis, lateralibus marginis anguſtiſſimis.

Deſcr. Sternum tredecim areis, antice truncatum emarginatum, poſtice bifidum, intime cum teſta connatum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quatuor, quorum duo antica quadrata recta. Caput depreſſum glabrum.

Habitat in India orientali. (Sonnerat.) Vidi ſpecimen, quo uſus ill. Lacepede in muſeo Pariſienſi.

†) planitia Gmel. ſyſt. nat.

pedibus — palmarum plantarumque digitis quinis unguiculatis, teſta ovali convexa laevi, maxilla inferiore uncinata, ſuperiore longiſſima.

Deſcr. Caput ovatum, convexum, latum. Oculi maximi. Teſta ſquamis aequalibus et latiſſimis obtecta.

Habitat in Surinamia. Species admodum dubia, a Gronovio (zoophyll. I. p. 17. n. 76. muſ. ichthyol. II. p. 86. n. 70.) deſcripta. Daudin [rept. II. 314.] eandem eſſe credit quam Emys punctularia.

Spec. 27. Emys Adanſonii mihi.

pedibus — teſta humili, poſtice latiſſima flava, nigro abunde adſperſa, ſcutellis dorſalibus mediis carinatis, primo longiſſimo panduraeformi, poſtico triangulari.

Deſcr. Pulcherrima ſpecies. Scutella diſci trede-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

cim, marginis viginti quatuor, quorum duo antica quadrata, angulis rotundatis, recta.

Vidi teſtam ſine ſterno ab Adanſonio in Nigritia lectam.

Spec. 28. Emys longicollis Shaw. Zool. N. Holland. I. p. 19. tab. 7.

digitis ſemipalmatis, palmarum plantarumque quaternis unguiculatis, teſta oblonga plana, ſcutellis fuſcis, ſterni area antica ſexangulari.

Deſcr. Sternum antice rotundatum, poſtice ſinuatum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum et bracteis tredecim obtectum, quarum duae anticae laterales ceteris minores et triangulares, intermedia major hexagona, reliquae ſubquadrangulares. Scutella diſci tredecim, hinc inde ſcabrida, primum dorſale longiſſimum. Bracteae marginales viginti quinque, quarum antica ceteris minor. Caput depreſſum glabrum. Collum longiſſimum.

Habitat in paludoſis novae Hollandiae. (Shaw. Peron.) Vidi vivam in horto botanico Pariſienſi.

Spec. 29. Emys guttata Schneid. Schrift. d Berl. Geſellſ. nat. Fr. IV. B. 3. St. p. 264. — Shaw Gener. Zool. tab. 10.

digitis liberis, plantarum quinto inermi, teſta ovali plana fuſca, guttis flavis irrorata.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, laevia, non areolata: marginis viginti quatuor, quorum anticum lineare. Teſta verſus marginem poſticum dilatata, guttis ſaepius pallidis. Caput punctis flavis.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Habitat in humidis Americae ſeptentrionalis. (Schoepf. Boſc.) Vidi ſpecimina duo in muſeo cel. Boſc.

Spec. 30. Emys Muhlenbergii Schoepf. teſt. pag. 132. tab. 31.

pedibus — teſta oblonga humili, carinata concolore, lateribus contractis, ſcutellis leviter ſulcatis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice rotundatum, poſtice bifidum. Scutella diſci tredecim, ſulcata, areolata, caſtanea: marginis viginti quinque, quorum anticum ceteris minus. Caput punctatum.

Habitat in Penſylvania. (Muhlenberg.) Non vidi.

Spec. 31. Emys Spengleri Wallb. Schrift. d. Berl. Geſ. nat. Fr. VI. B. p. 122 ſq. tab. 3.

pedibus — teſta oblonga depreſſa, trifariam carinata, carinis continuis, margine poſtico profunde ſerrato, dentibus acuminatis integris.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice rotundatum, poſtice bifidum, intime cum teſta conjunctum, longitudine loricae, at multo anguſtius. Scutella diſci tredecim, excelſe carinata: marginis viginti quinque, quorum anticum ceteris minus. Cauda longiſſima.

Patria ignota. — Non vidi.

Spec. 32. Emys trijuga mihi.

pedibus — teſta convexa, ovata, fuſca, tricarinata, margine flaveſcente integro, diſco in lateribus ſulco profundo circumſcripto.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice truncatum poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Bracteae quatuor medium ſterni obtegunt. Scutella diſci tredecim, punctato-areolata, marginis viginti quinque,

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

quorum anticum ceteris minus. Carina in commiſſuris ſcutellorum interrupta.

Vidi teſtam a cel. Lechenault muſeo Pariſienſi datam et ab ipſo in inſula Java lectam.

Spec. 33. Emys Herrmanni mihi.

pedibus ſemipalmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta humili oblonga fuſca tricarinata, bracteis corporis ſterni quatuor.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antico truncatum, poſtice bifidum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, vix areolata, bracteae marginis viginti quinque, concolores, quarum antica ceteris minor. Carinae continuae. Cauda exſerta.

Vidi Argentorati ſpecimen in muſeo Herrmanniano, alterum in muſeo Schreberi: figuram primi benevole mecum communicavit cel. Hammer.

Obſ. Quoad ſtructuram pedum haecce ſpecies primis huius generis affinis eſt, neque tamen iis adjungere volui, usque dum conformatio pedum et in reliquis Emydibus teſta tricarinata praeditis innoteſcat, quibus noſtra ſimillima eſt. — Gmelin in Linn. ſyſt. nat. jam deſcripſit ſpeciem quandam ſub nomine teſt. Herrmanni, at valde dubiam, nec ab ipſo viſam. Deſumſit nimirum characteres ſpecificos e notula in Schneid. teſt. hiſt. pag. 348. quo loco obſervatio Herrmanni in ſpeciem ſibimet ipſi dubiam exponitur, quam cel. vir ill. Schneidero in litteris communicaverat.

*β. Sterno oblongo mobili.*

Teſta convexa, plus minusve clauſilis, coſtis fere oblitteratis. Sternum per ſymphyſin aut ligamentis teſtae adnexum, ſaepius latiſſimum et tunc proceſſus laterales

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

nulli, ceterum bi-aut trivalve, valvulae ligamento conjunctae, antica rotundata. Digiti palmarum ſubliberi. Habitant in humidis aut in campis.

Spec. 34. Emys Retzii Schoepf. teſt. p. 9. tab. 2. (fig. pulli.)

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta orbiculari fuſca tricarinata, ſcutellis dorſi latiſſimis brevibus, bracteis marginalibus ſubaequalibus, lobo ſterni poſtico ſubtruncato.

Deſcr. Sternum antice mobile (?), areis duodecim: bracteae duae quadrangulares mediam partem obtegunt, aliae minores proceſſus, quibus ſternum cum teſta conjungitur. Scutella diſci tredecim, punctato-areolata, vertebralia latiora quam longa. Carinae continuae. Bracteae marginales viginti tres, antica anguſta, reliquae ſubaequales. Palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda vix exſerta.

Patria ignota.

Obſ. Vidi in muſeo Pariſienſi teſtam primae aetatis. Quare de ſterni nondum oſſificati ſtructura nil contendam, ceterum bivalve videbatur.

Spec. 35. Emys ſcorpioidea Lacep. quadr. ovip. ſ. fig.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta oblonga fuſca tricarinata, ſcutellis vertebralibus elongatis, lateralibus marginis anguſtiſſimis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice et poſtice mobile, lobis rotundatis anguſtis, poſtico retuſo. Bracteae duae medium ſternum obtegunt, aliae minores proceſſus laterales. Scutella diſci tredecim, ſublaevia, areolis oblitteratis: vertebralia longiora quam lata. Carinae

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

continuae. Bracteae marginis viginti tres, antica ceteris minor, laterales anguſtiſſimae, infra verſus ſternum dilatatae. Palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda vix exſerta, in apice ungue armata.

Habitat in Surinamia (Lacepede), Cayennae. (Richard.) — Vidi plura ſpecimina in muſeo Pariſienſi.

Spec. 36. Emys penſylvanica Edward, Glean. of nat. hiſt. II. tab. 287.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ovali fuſca, ſcutellis dorſalibus complanatis, ſterno lato utrinque mobili, undecim areis.

Deſcr. Sternum fere latitudinis loricae, antice rotundatum, poſtice ſinuatum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, vertebralia ſubcarinata, primum antico latiſſimum poſtice anguſtatum. Bracteae marginales 20 — 23, quarum antica ceteris minor. Caput luteo adſperſum, complanatum, ore acuto. Palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda in apice ungue armata.

Habitat in America ſeptentrionali. Vidi plura ſpecimina in muſeo cel. Boſc.

β. var. ſterno immobili Schoepf. teſt. p. 110. tab. 24. fig. B. — An ſpecie aut ſexu diverſa?

Vidi ſpecimen cel. auctoris in muſeo ſociet. natur. ſcrutat. Berol. E. penſylvanicae alioquin ſimillimum.

Spec. 37. Emys odorata Boſc. Nouv. dict. d'hiſt. nat. Vol. 22. p. 267.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ovali, nigro-fuſca, ſcutellis dorſalibus carinatis, ſterno anguſtiſſimo, antice mobili, undecim areis.

Deſcr. Sternum antice rotundatum, poſtice bifi-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

dum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim: primum dorſale anguſtum longiſſimum. Bracteae marginales 20 — 23, quarum antica minor. Caput lineis luteis ornatum, ore obtuſo. Palmarum digiti quinque unguiculati. Cauda in apice unguiculata. — Vivum animal moſchum olet.

Habitat in America ſeptentrionali. (Boſc.) Vidi plura ſpecimina in muſeo cel. Boſc., adeo tamen E. penſylvanicae ſimilia, ut vix aut ſexu tantum differre crederem, niſi ill. vir viva ſtudioſe obſervaſſet.

Spec. 38. Emys caſtanea mihi.

pedibus — teſta ovali, caſtanea, convexa, rugis leviſſimis radiantibus, ſcutellis vertebralibus mediis carinatis, areolis punctato-rugoſis nigris.

Deſcr. Sternum tredecim areis, lobo antico rotundato, mobili, poſtico anguſtiore bifido, cum teſta intime conjunctum. Scutella diſci tredecim, ſublaevia. Bracteae marginales viginti quatuor, duae anticae minores, quadratae, rectae.

Patria ignota. Vidi teſtam, quae in muſeo Pariſienſi ſervatur, ſub nomine falſo teſt. ſubnigra β. rept. II. 198. a Daudin deſcriptam.

Spec. 39. Emys amboinenſis Riche. Daud. rept. II. 309.

digitis palmatis unguiculatis, palmarum quinque, plantarum quatuor, teſta convexa fuſca laevi, ſcutellis marginalibus recurvis, luteo adſperſis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, ovale, magnum, antice et poſtice mobile, ligamentis cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quatuor.

Habitat in Amboina. (Daudin ex litt. Riche.) — Non vidi.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Spec. 40. Emys ſubnigra Lacep. quadr. ovip. p. 213. tab. 7. fig. 2.

pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi *), teſta ovali, convexa, nigra, ſcutellis nitentibus, in margine ſtriatis, vertebralibus mediis planis, leviter carinatis.

Deſcr. Sternum tredecim areis, antice mobile, rotundatum, poſtice bifidum, intime cum teſta conjunctum. Scutella diſci tredecim, laevia, adſpectu pingui, non areolata. Bracteae marginales viginti quatuor, duae anticae minores rectae, laterales anguſtiſſimae.

Patria ignota. Vidi teſtam, qua uſus cel. Lacepede.

Spec. 41. Emys Couro Lechenault.

digitis palmatis, plantarum digito quinto inermi, teſta ſubgloboſa, ſubtricarinata, nigricante, ſterno integro latiſſimo, maculis nebuloſis variegato.

Deſcr. Sternum antice mobile, utrinque rotundatum, duodecim areis ligamentis teſtae adnexum. Scutella diſci tredecim: dorſalia complanata, ſubcarinata, lateralia convexa ſubcarinata. Bracteae marginales viginti quinque, quarum antica linearis. Digiti palmarum quinque unguiculati.

Vidi teſtam a cel. Lechenault in Java collectam et ſub nomine teſt. Couro muſeo Pariſienſi traditam.

Spec. 42. Emys clauſa Bloch. Schrift. Berl. Geſ. nat. Fr. VII. B. 1. St. p. 131. tab. 1. fig. 1. 2.

digitis ſubpalmatis, unguiculatis, palmarum, quinque, plantarum quatuor, teſta fuſca, luteo marmorata, excelſe carinata, ſcutellis rectilineis, areolis oblitteratis excentricis.

---

*) Fide Daudin.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice mobile, utrinque rotundatum, ligamentis teſtae adnexum. Scutella diſci tredecim laevia, areolis concoloribus: dorſalia planiuſcula. Carina excelſa lata, complanata, utplurimum continua. Bracteae marginis viginti quinque, quarum antica in plerisque linearis. Cauda breviſſima. — Teſta convexa aut planiuſcula, margine poſtico verticali aut horizontali.

Habitat in campis et collibus Americae ſeptentrionalis. (Bloch. Boſc.) Vidi ſpecimina tria in muſeo Pariſienſi et cel. Boſc.

Spec. 43. Emys virgulata Daudin. rept. II. 201. tab. 23.

digitis ſubliberis unguiculatis, palmarum quinque, plantarum quatuor, teſta convexa nigra, ſubcarinata, ſcutellis curvilineis, guttis faſciisque luteis irregularibus variegatis, marginalibus recurvis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, antice mobile, utrinque rotundatum, ligamentis teſtae adnexum. Scutella diſci tredecim, areolis oblitteratis excentricis, dorſalia complanata. Carina utplurimum interrupta humilis, verſus marginem teſtae poſteriorem incraſſata. Bracteae marginales viginti quinque, antica anguſtior. Cauda vix exſerta.

Variat numerus ſcutellorum marginalium, et convexitas teſtae. Carina in nonnullis vix ulla, in aliis fere continua. Margo plerumque revolutus, rarius horizontalis.

Habitat in humidis Carolinae. (Daudin. Boſc.) Vidi plura ſpecimina in muſeo Pariſienſi et cel. Boſc.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Spec. 44. Emys Schneideri mihi.

digitis —, teſta ſulphurea, excelſe carinata, ſcutellis rectilineis, maculis caſtaneis marginatis, areolis centralibus, fuſcis, circumſcriptis.

Deſcr. Sternum duodecim areis, utrinque rotundatum, poſtice ſubtruncatum. Scutella diſci tredecim, laevia, dorſalia complanata. Carina excelſa plana continua. Bracteae marginis 25—27, antica minor.

Patria ignota.— Vidi ſpecimina duo, quorum unum in muſeo Pariſienſi, alterum Argentorati in muſeo Herrmanniano. Speciem dixi in memoriam cel. Schneider, de hiſtoria teſtudinum meritiſſimi.

†) Emys polyphemus Bartr. Trav. trough Carol. p. 18.

pedibus ſubclavatis (?), plantarum digito quinto inermi, corpore cum teſta cinereo.

Deſcr. Species dubia, male deſcripta. Sternum mobile, antice rotundatum, retuſum, poſtice bifidum. Corpus ſquamoſum. Maxilla ſuperior incurva. Ungues robuſti, acuti, palmarum quinque, plantarum quatuor, digito quinto inermi. — Teſta 18 poll. longa, 10—12 lata.

Habitat in Florida. — Non vidi.

## §. 7.

### Genus VI. Teſtudo Brongn.

Char. natur. Caput globoſum, ſquamoſum. Maxillae corneae, in plurimis ſerratae, ſuperior inferiorem pyxidum inſtar claudens. Collum craſſum, verrucoſum, parum protractile. Teſta ſquamoſa ſolidiſſima, utplurimum globoſa, coſtae plerumque oblitteratae, in juniori

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

aetate ſuturis irregularibus conjunctae. Areolae in pleriſque diſtinctae et regulares. Sternum ſolidiſſimum, latum, per ſymphyſin aut ſuturis oſſeis teſtae adnexum. Pedes ſquamoſi, clavati, digitis integumento communi conjunctis. Ungues recti obtuſi. Cauda craſſa, in plurimis vix exſerta.

Vitae genus et patria. Habitant tardigradae in campis et nemoribus regionum calidiorum, rariores in frigidis. Sub terra occultae hibernant. Veſcuntur molluſcis et radicibus.

Char. eſſent. Pedes clavati. Sternum dilatatum, ſolidiſſimum. Roſtrum corneum.

α. margine teſtae laterali prominente, acuto.

*) Incertae ſedis.

Obſ. Ob areolas ſimiliter quam in teſtudinibus configuratas ſpecies ſequentes, tanquam terreſtres deſcriptas, ſed e lorica tantum notas, hic distribuimus, licet teſta humiliſſima Emydibus affines. Ceterum quoque oſſificatio teſtae in illis ſumma et coſtae evanidae uti in teſtudinibus proprie ſic dictis.

Spec. 1. Teſtudo cafra le Vaillant. — Daud. rept. II. 291.

teſta complanata luteſcente, ſcutellis diſci quindecim, nigro marginatis punctisque nigris variegatis, areolis concoloribus planis.

Deſcr. Scutella diſci complanata: vertebrale quintum gibboſum, laterales anticae minimae. Areolae in centro leviſſime protractae. Bracteae marginales viginti ſex: antica breviſſima, anguſta, retuſa. Sternum antice —, poſtice bifidum. Margo teſtae anterior et poſterior leviter ſerratus.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Habitat in Africa. (Daudin ex manuſcr. le Vaillant.) — Vidi teſtam a cel. viro in muſeo Pariſienſi depoſitam.

Spec. 2. Teſtudo ſignata Wallbaum. chelon. p. 71 et 120. c. fig.

teſta humili flavicante, ſcutellis diſci tredecim planiuſculis, lineolis punctisque nigris adumbratis, areolis nigricantibus depreſſis.

Deſcr. Bracteae diſci concolores, faſcia nulla, commiſſurae ſulco levi exaratae. Bracteae marginis viginti ſex, antica anguſtiſſima retuſa. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice bifidum. Similis ſequenti.

Varietates. 1) teſta flava, punctis numeroſiſſimis adſperſa, margine utrinque profunde dentato.

2) teſta gilvo griſea, punctis et dentibus rarioribus.

Patria ignota. Vidi teſtas duas in muſeo Pariſienſi.

Spec. 3. Teſtudo juvencella Daud. rept. VIII. p. 548.

teſta demiſſe convexa, luteſcente, ſcutellis diſci tredecim globoſis, nigro marginatis lineolisque nigris variegatis, areolis nigricantibus depreſſis, commiſſuris bractearum profundis.

Deſcr. Bracteae marginis viginti ſex. Areolae centrales punctatae. Sternum antice —, poſtice bifidum. Teſta in lateribus contracta, in margine poſtico dentata. Dentes ſimiliter quam in praecedentibus ſcutellorum commiſſuris exciſis formantur. — Vidi teſtas duas:

a. areolis in centro gibbis, lineis nigris radiantibus, in margine ſcutellorum parum confluentibus: bractea marginali antica lineari ſimplici. — Specimen cel. Daud. quod in muſeo Pariſ. ſervatur.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

β. ſcutellis vix depreſſis, commiſſuris nigerrimis: bracteis duabus anticis linearibus. — Teſta e muſeo cel: Richard.

**) Teſtudines verae.

Spec. 4. Teſtudo areolata Thunb. Nov. act. ſuec. VIII. p. 180. c. fig. — Schoepf. teſt. tab. 23.

teſta oblonga convexa, luteſcente, ſcutellis elevatis, commiſſuris profunde exaratis, areolis fulvis ſubdepreſſis.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quatuor, quorum anticum anguſtiſſimum. Areolae centrales punctatae, in centro gibbae. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice bifidum. Caput ſquamis minutiſſimis obtectum. Maxillae uncinatae, ſerrulatae. Collum breve papilloſum. Pedes ſquamati, palmarum plantarumque unguibus quatuor. Cauda exſerta.

Patria. Vidi ſpecimina quatuor a cel. Boſc. et Richard in Carolina et Cayenna lecta. — Habitat quoque in Braſilia (Seba) et in India orientali. (? Thunberg.)

Spec. 5. Teſtudo faſciata Daud. rept. II. 294.

teſta fuſco-badia, ſcutellis diſci quindecim, omnibus complanatis, areolis depreſſis planis, antice albo marginatis.

Deſcr. Scutellum vertebrale primum leviter carinatum, quintum planum: laterales anticae diſci minimae. Scutella marginis viginti ſeptem, quorum anticum anguſtiſſimum. Commiſſurae bractearum in margine antico et poſtico dentium inſtar contractae. Corpus ſquamis minutiſſimis munitum. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor. Cauda breviſſima.

Habitat in Ceylonia. (Daudin ex litt. Van-Erneſt.) — Non vidi.

Spec.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Spec. 6. Teſtudo eroſa mihi.

teſta oblonga fuſca, ſcutellis diſci rectilineis ſulcatis, bracteis marginalibus in dentem protractis, eroſo - ſerratum.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti duo, ſubaequalia. Margo anterior ſupra collum leviter protractus, eroſus, profunde ſinuatus. Areolae ſcutellorum dorſalium regulares, lineis circumſcriptae, leviter carinatae. Sternum antice bifidum, lobis alaeformibus et teſta longius, poſtice rotundatum ſinuatum, ceterum latiſſimum, areis duodecim.

Habitat in America ſeptentrionali. (Shaw.) Vidi ſpecimina duo in muſeo Manheimenſi; figuram et deſcriptionem huius ſpeciei iam dedit cel. Shaw. (Gener. Zool. III. p. 59. tab. 13.) ſub nomine falſo teſt. denticulatae Linn.

Spec. 7. Teſtudo angulata Dumer. in muſ. pariſ.

teſta oblonga ventricoſa nigra, ſupra collum triangulariter exciſa, ſcutellis diſci rectilineis ſulcatis, areolis flavis depreſſis, bractea marginali antica anguſtiſſima.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, complanata: marginis viginti quatuor flava, macula nigra triangulari notata, poſticum ſubgibbum. Angulus ſinus teſtae antici acutus. Sternum undecim areis, antice anguſtiſſimum truncatum, poſtice bifidum. Cauda exſerta. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor. — Areolae in centro leviter protractae, lineis elevatis circumſcriptae.

Patria ignota. — Vidi ſpecimina duo in muſeo Pariſienſi.



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Spec. 8. **Teſtudo tabulata** Wallbaum chelon. p. 78 et 122. — Schoepf. teſt. tab. 12. f. 2. et tab. 13.

teſta oblonga ventricoſa, nigro-caſtanea, antice ſinuata; ſcutellis diſci rectilineis ſulcatis, areolis flavis ſubgibbis, bracteis marginalibus ſubaequalibus.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti tria, quorum duo antica ceteris paululum breviora, inter ſe aequalia, poſticum gibbum: Margo teſtae unicolor. Sternum duodecim areis, antice truncatum emarginatum, poſtice bifidum. Cauda exſerta. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor.

Habitat in America meridionali. (Seba. Gmelin.) in Africa auſtrali. (Thunberg. Schoepf.)

Obſ. Numerus bractearum marginalium admodum conſtans eſt; ſemper eundem obſervaverunt Wallbaum, Schoepf, neque in octo ſpeciminibus muſei Pariſienſis aliisque variantem vidi.

Specie forſitan differunt:

β. cayennenſis. (Teſt. tabulatae pullus Schoepf. teſt. p. 62. tab. 14.)

areolis ultra dimidiam bractearum partem latis, ſulcis rarioribus circumſcriptis, ſcutellis marginalibus poſticis decreſcentibus verticalibus, anticis ſupra collum profunde ſinuatis. — Vidi ſpecimina tria in muſeo cel. Richard, ab ipſo in Cayenna lecta.

γ. africana.

ſcutellis diſci quindecim ſubgibbis, irregularibus: bracteis marginalibus in dentes rotundatos protractis, areis ſterni undecim.

Vidi teſtam unicam in muſeo Pariſienſi, forſan monſtroſam.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Spec. 9. Teſtudo marginata Schoepf. teſt. p. 52. tab. 11 et 12. f. 1.

teſta oblonga ventricoſa nigricante, areolis ſulphureis protractis, margine teſtae poſtico explanato, horizontali.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, nonnihil luteo marmorata: marginis viginti quatuor, quorum anticum anguſtius. Sternum duodecim areis, antice emarginatum, poſtice bifidum. Cauda vix exſerta. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor.

Habitat in America meridionali. (Schoepf.) Vidi plurima ſpecimina.

Spec. 10. Teſtudo graeca Linn. ſyſt. nat. ed. XII. p. 252. — Schoepf. teſt. tab. 8 et 9.

teſta globoſa, nigro flavoque varia, ſcutellis ſubgibbis curvilineis, marginali poſtico hamato, obtuſo.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quinque, quorum anticum anguſtius. Sternum duodecim areis, antice retuſum, poſtice bifidum. Ungues palmarum quatuor aut quinque, quintus tamen brevis, adpreſſus, plantarum quatuor.

Habitat in Europa meridionali et (?) in America. (Seba.) — Vidi plurima ſpecimina.

†) Teſtudo ſulcata Mill. on var. ſubj. tab. 26. A. B. C.

teſta oblonga ventricoſa, ſcutellis gibbis, ſterno utrinque ſinuato, lobis alaeformibus, femoribus calcaratis.

Obſ. Teſtudo ex icone tantum nota eſt, ſed ſpecie a reliquis differre videtur. Sternum ex duodecim areis conſtat, quarum anticae duae alaeformes, anguſtiſſimae ac divergentes: poſticae ſimiliter conformatae, at latiores. Squamae duae longiſſimae, calcaris inſtar,



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

femoribus incubant. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor. Corpus ſquamoſum. Nolui hancce teſtudinem in numerum ſpecierum recipere, quum deſcriptio ad naturam facta nullibi exiſtit.

Vidi figuram in Schneid. Samml. zool. Abhandl. et Bechſt. Naturg. d. Amph. v. Lacep.

Habitat in inſulis Americae merid. (Miller.)

Spec. 11. Teſtudo denticulata Linn. ſyſt. nat. nro. 9. — Schoepf. teſt. tab. 28. fig. 1. teſta globoſa pallida, ſcutellis verrucoſis rectilineis, bracteis marginalibus crenatis.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, areolis nullis, marginis 21—23, quorum duo antica ſubaequalia, ceteris paululum breviora. Margo anterior ſupra collum eroſo-ſinuatus. Sternum duodecim areis, antice truncatum, emarginatum, poſtice retuſum. Palmarum ungues quinque, plantarum quatuor. Cauda craſſa, vix exſerta, in apice ungue armata.

Habitat in Virginia (Linn.) ad fretum Hudſoni (?-Miller). — Vidi ſpecimina duo in muſeo Pariſienſi.

Spec. 12. Teſtudo rotunda Latr. rept. I. 107. II. 282. — Lacep. quad. ovip. tab. 3. fig. 2. teſta globoſa, pallide flava, punctis filaceis adſperſa, cauda craſſa vix exſerta.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti tria, ſubaequalia, duo antica paululum breviora. Margo integer. Sternum duodecim areis, antice truncatum, poſtice bifidum. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor.

Patria ignota. — Vidi pullos duos, quibus uſus cel. Latreille, in muſeo Pariſienſi, jam ab ill. Lacepede

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

deſcriptos ſub falſo nomine teſt. orbicularis; in Europa meridionali et in Boruſſia indigenae.

†) Teſtudo elegans Seb. theſ. tab. 79. fig. 3. teſta globoſa flava, commiſſuris ſcutellorum macula ovata nigra notatis.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis —, aequalia. Sternum —. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor.

Habitat in Ceylonia. (Seba.) Species ex icone tantum nota, quae rudis.

Spec. 13. Teſtudo ſtellata mihi. — Schoepf. teſt. tab. 25.

teſta globoſa, ſcutellis ſpadiceis, areolis convexis, macula ſtellata lutea notatis.

Deſcr. Scutella plus minusve ſulcata, diſci tredecim, marginis viginti tria, aequalia, poſticum ceteris latius. Sternum duodecim areis, antice truncatum, crenatum, poſtice bifidum. Margo teſtae in juniori aetate crenulatus. Cauda exſerta. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor.

Habitat in India orientali. (Schoepf. ſub falſo nomine: teſt. elegans Seb.) — Vidi plura ſpecimina et in muſeo nat. ſcrutat. Berol. ſpecimen Schoepfii.

Spec. 14. Teſtudo geometrica Linn. ſyſt. nat. ed. XII. 353. — Schoepf. teſt. tab. 10.

teſta globoſa nigra, ſcutellis gibbis, truncatis, flavo radiatis, areolis flavis ſubdepreſſis.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti quatuor, quorum anticis bractea minima ſupra collum ſaepius interjecta eſt: poſticum hamatum, acutum. Sternum duodecim areis, antice ſinuato-truncatum, poſtice bifidum.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Habitat ad Cap. b. ſp. (Thunberg.) in Aſia et Madagaſcar et in inſula adſcenſionis (Lacepede); in Braſilia (Marcgraf.); in India orientali. (Piſo.) — Vidi plurima ſpecimina variae aetatis.

Obſ. In manuſcripto inedito Schoepf. de ſpecimine rariſſimo muſ. Bloch. loquitur, quod pedes palmatos exhibuit. Talem jam depinxit teſtudinem geometricam Piſo (hiſt. nat. Ind. III. p. 105. fig. 1.) et hinc derivandae auctorum nonnullorum deſcriptiones, quibus ſpeciebus aquatilibus adnumeratur.

Spec. 15. Teſtudo radiata Shaw gen. Zool. III. p. 22. tab. 2.

teſta hemisphaerica nigra, ſcutellis planis, flavo radiatis, areolis rufis.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti tria, quorum anticum ceteris minus, poſticum fornicatum. Sternum duodecim areis, antice anguſtum, ſinuato-truncatum, poſtice bifidum.

Habitat in inſula Madagaſcar. (Shaw. Commerſon.) — Vidi teſtas duas in muſeo Pariſienſi.

*) Accedunt ſpecies duae foſſiles:

a) teſtudo prope Aix foſſilis, nondum ſatis explorata. — Cfr. Cuvier annal. du muſ. d'hiſt. nat. Tom. XIV. p. 241.

b) teſtudo prope Pariſios foſſilis, ab ill. Cuvier deſcripta. Annal. du muſ. d'hiſt. nat.

β. margine teſtae laterali rotundato, lorica cylindracea.

Spec. 16. Teſtudo indica Voſmaer.

teſta cylindrica, ſupra collum reflexa, margine poſtico complanato horizontali, ſterni areis undecim.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Deſcr. Scutella diſci tredecim, duo lateralia antica convexa. Bracteae marginis viginti tres, ſubaequales. Sternum antice rotundatum anguſtum, poſtice retuſum. Caput ſquamoſum, maxillae ſerratae. Collum craſſum, parum protractile. Ungues palmarum quinque, plantarum quatuor. Cauda craſſa, vix exſerta.

*) margine ſcutellorum ſulcato.

Teſtudo indica Voſmaer. — Schoepf. hiſt. teſt. p. 101. tab. 22. fig. B.

Habitat ad Cap. b. ſp. (? Schoepf.) Vidi ſpecimina quinque in muſeo Pariſienſi.

**) margine ſcutellorum laevi, bracteis diſci anticis in centro tuberculoſis.

Teſtudo indica Perrault mémoir. de l'acad. des ſcienc. Tom. III. Pars 2. p. 177. c. fig. mala.

Habitat in India orientali. (Perrault.) — Non vidi.

Spec. 17. Teſtudo gigantea mihi.

teſta cylindracea, ſupra collum complanata, ſcutellis laevibus, poſtico marginali cum vertebrali quinto gibboſis, ſterno duodecim areis.

Deſcr. Scutella diſci tredecim, marginis viginti tres, aequales. Sternum utrinque anguſtatum. Caput craſſum ſquamoſum, maxillis ſerrulatis. Collum craſſum. Pedes ſquamis robuſtis, latiſſimis muniti, unguibus palmarum quinque, plantarum quatuor. Cauda craſſa, non exſerta.

Habitat in Braſilia. — Vidi animal e collectione regia Libonenſi proventum in muſeo Pariſienſi.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

## Caput III.

Specierum novarum et quarundam imperfecte cognitarum accuratior deſcriptio.

### § 1.

Spec. 2. Trionyx aegyptiacus Geoffr.

Uberius exponenda nobis erit hiſtoria ſpeciminum huius Trionychis, quae in muſeo Pariſienſi ſervantur, quum de iis plane alienam ſententiam foveamus, quam cel. Geoffroy. Examinavimus nimirum exemplaria quatuor:

1. teſtam Trionychis aegyptiaci, adulti, ab ill. Geoffroy ex Aegypto allatam, rugoſam, lineis nonnullis aſperis longitudinalibus inſignem, ceterum ita conformatam ut capite antecedenti expoſitum eſt.

Menſio diſci oſſei, pede Pariſienſi inſtituta, (nam de margine dilacerato taceam,) ſequentem partium proportionem exhibuit:

Longitudo 1 p. 1 poll. 2 lin.
Latitudo 1 p.
Altitudo - - 4 poll. 1 lin.

2. Pullus in ſpiritu vini conſervatus, ſub nomine teſtudinis cartilagineae a Boddaerto deſcriptus, ejusque auctoris ſpecimen, olim Hagae Comitum aſſervatum, ſequentes notas praebet:

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Area vertebralis antica tranſverſalis. Diſcus oſſeus anguſtiſſimus, oblongus, cute obtectus, et inde numerus arearum vix conſpicuus. Tubercula marginem ſcuti anticum occupant, in lineam transverſam diſpoſita et huiusmodi lineae continuae aut interruptae omnem ſuperficiem teſtae tegunt, duae parallelae ſupra vertebras carinam ſpuriam conſtituunt. Teſta pallide fuſca maculis albidis et obſcurioribus abunde adſperſa eſt, quae maculae ſingulis in locis in formam ſtellularum coeunt, et huiusmodi ſtellulae magis conſpicuae ſunt verſus marginem teſtae poſticum. (Ill. Geoffroy exinde characterem ſpecificum Trionychis ſtellati petiit.) — Sternum laeve, album, appendicibus oſſeis anticis approximatis, paululum divergentibus. Caput cum collo pedibusque cute laevi veſtitum, quae pallide fuſca, maculis crebeirimis albidis. Tubus narium cylindricus truncatus. Maxillae integrae, cute laxa circumcinctae. Pedes palmati, pentadactyli, digiti tres exteriores unguiculati. Cauda craſſa, teſtae margine brevior. — E quanam terra pullus provenit, ignotum eſt.

Menſurae *).

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo animalis collo protracto | 5 poll. | 2 lin. |
| Longitudo capitis - - - - - - - | 1 poll. | 2 lin. |
| Longitudo colli protracti - - - | 1 poll. | — |
| Longitudo ſcuti - - - - - - - | 3 poll. | — |

*) Menſuras eum in finem addimus, ut e comparatione menſurarum teſtudinum variae aetatis modus quoque incrementi partium magis in poſterum innoteſcat. Sic v. c. in teſtudinibus proprie ſic dictis altitudinem cum latitudine teſtae per ſingulos annos alia ratione progredi quam in Emydibus, quae humiliores ſunt, ſcutellisque planis, jam in proëmio breviter monuimus.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo diſci oſſei - - - - - | 1 poll. | 10 lin. |
| Longitudo annuli ſternalis - - | 1 poll. | 7 lin. |
| Longitudo caudae - - - - - | — | 5 lin. |
| Latitudo teſtae - - - - - | 2 poll. | 7 lin. |
| Latitudo diſci oſſei - - - - - | — | 7 lin. |
| Latitudo capitis ſumma - - - | — | 7 lin. |
| Latitudo annuli ſternalis - - | 1 poll. | 1 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - | — | 9 lin. |

Menſura huius ſpeciminis a Boddaerto jam ſumta, (epiſtola de teſtudine cartilaginea. Amſtel. 1770. p. 21.) a noſtra nonnihil differt, id quod pedis, quem adhibuimus, diverſitati tribuendum videtur.

3. Pullus alter in ſpiritu vini aſſervatus ab antecedenti prorſus non differt, niſi quod ſtellulae rariores ſint, et in diſco tantum conſpiciantur. Areae vertebralis anticae ſtructura difficillima exploratu eſt ob tenerrimam aetatem animalis, nec tamen diverſae formae videtur, quam in Trionyche aegyptiaco. An vero pullus ex Aegypto allatus ſit, ignoratur.

### Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo animalis collo protracto | 3 poll. | 11 lin. |
| Longitudo capitis - - - - - | — | 11 lin. |
| Longitudo colli protracti - - | 1 poll. | — |
| Longitudo teſtae - - - - - | 2 poll. | — |
| Longitudo caudae - - - - - | — | 6 lin. |
| Longitudo annuli ſternalis - - | 1 poll. | 3 lin. |
| Latitudo teſtae - - - - - | 1 poll. | 10 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - | — | 6 lin. |
| Latitudo annuli ſternalis - - | — | 10 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - | — | 6 lin. |

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

4. Pullus in ſpiritu vini aſſervatus, ab ill. Geoffroy ex Aegypto allatus antecedentibus minor eſt, et notis ſequentibus ab illis (Trion. ſtellato Geoffr.) differt:

a) margine ſcuti ſupra collum vix tuberculoſo. Tubercula marginis magis conſpicua prope pedes anteriores.

b) linea ſimplici tuberculoſa, carinae inſtar vertebras tegente. In aliis lineam duplicem eſſe monet ill. Geoffr. (annal. du muſ. d'hiſt. nat. XIV. p. 12.)

c) ſtellulis non diſtinctis.

d) appendicibus ſterni anterioribus paululum rectioribus quam in nro. 2, at os ſemilunare, quo connectuntur, nondum perfecte formatum videtur.

Quae exiſtunt differentiae inter Nro. 2 et 4 vix ſpecificae nobis videntur, neque ſententiam cel. Geoffroy hac in re adoptamus. Candide expoſuimus obſervationes noſtras, judicent lectores.

## Menſurae.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Longitudo animalis collo protracto | 3 poll. | 1 lin. |
| Longitudo capitis - - - - - | — | 7 lin. |
| Longitudo colli protracti - - | — | 6 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - | 2 poll. | — |
| Longitudo caudae - - - - - | — | 4 lin. |
| Longitudo annuli ſternalis - - | 1 poll. | 1 lin. |
| Latitudo teſtae - - - - - | 1 poll. | 11 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - | — | 4 lin. |
| Latitudo annuli ſternalis - - | — | 10 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - | — | 5 lin. |

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

§. 2.

Spec. 5. Trionyx Brongniarti.

Caput trigonum, fronte complanata. Oculi ſat magni, approximati. Roſtrum obtuſum, maxillis integerrimis, cute laxa circumcinctis. Tubus narium elongatus. Collum rugoſum, in longitudinem quartae partis teſtae protractile. Scutum ovale, margine antico linea papilloſa munito, poſtico cum lateribus laevi. Diſcus oſſeus oblongus, rugoſo-reticulatus, vix ſcaber et lamina tenuiſſima, cornea fere, obtectus ceterum anguſtus, dimidiam partem coſtarum tantummodo connectens: coſtae duae poſticae anguſtiſſimae non, niſi ad vertebras, cum diſco conjunctae, ceterum liberae. Areae vertebrales ſex carinam humiliſſimam conſtituunt, poſtice latitudine decreſcentes: prima quinquangularis, angulo antico acuto: ſecunda, tertia, quarta et quinta oblongae, quadrangulares, rectilineae, ſexta irregularis, anguſtiſſima. Areae oblongae, ſeptem in utroque latere diſci: duae poſticae immediatim conjunctae, reliquae, interpoſitis areis vertebralibus discretae. Area acceſſoria inter primam vertebralem et marginem ſcuti anteriorem obcordata et quinquangularis eſt, angulo poſtico acuto. Sternum glabrum, corpora oſſium lateralium et poſteriorum rugoſo-reticulata, vix ſcabra. Crura lateralia, quae teſtam petunt, longitudine aequalia ſunt, at poſtica bifida. Cauda craſſa, acuta, marginem ſcuti ſubaequans. Pedes palmati, digitis quinque, duobus muticis, membrana larga, ultra tarſum aſcendente unitis.

Longe haeſitavimus, an hic Trionyx ſpecie differat, veriti nimirum, ne differentiae, quae nunc exiſtunt,

Digitized by Google

Original from
PRINCETON UNIVERSITY

aetate provectiori dispereant. Discrepat autem a ſimilibus:

α. a Trionyche javanico.

1. diſco oblongo anguſto coſtarum dimidiam partem vix tegente. Specimen Trionychis javanici parum maius, quod comparavimus, diſcum multo latiorem habet.
2. areis vertebralibus ſex, lateralibus utrinque ſeptem.
3. coſta poſtica ſublibera.
4. area obcordata in margine ſcuti anteriori.
5. capite anguſtiore, longiore.
6. collo breviore.

β. a Trionyche granoſo.

1. diſco oſſeo anguſtiore, vix ſcabro.
2. numero arearum.
3. coſta poſtica ſublibera.
4. area vertebrali prima quinquangulari, nec oblonga, nec dilatata.
5. area obcordata, quinquangulari marginis ſcuti antici.
6. margine ſcuti anteriore papilloſo, (poſteriore laevi.)
7. ſterno ſublaevi, corporibus oſſium ſterni nec rotundatis nec granoſo-ſcabris.

(8. collo breviore et cauda longiore.)

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo totius corporis - - | 8 poll. | 1 lin. |
| Longitudo ſcuti - - - - - | 5 poll. | 6 lin. |
| Longitudo diſci - - - - | 2 poll. | 9 lin. |
| Longitudo marginis ſcuti anterioris | — | 10 lin. |
| Longitudo marginis ſcuti poſtici | 1 poll. | 11 lin. |
| Longitudo colli protracti - - | 1 poll. | 1 lin. |
| Longitudo capitis in criſta occipitali | 1 poll. | 6 lin. |

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo ſcuti inferioris - - | 4 poll. | 2 lin. |
| Longitudo annuli ſternalis - - | 3 poll. | 5 lin. |
| Longitudo caudae - - - - | 1 poll. | 4 lin. |
| Latitudo ſcuti in vertebra quarta | 5 poll. | — |
| Latitudo diſci in vertebra quarta | 1 poll. | 9 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - | — | $10\frac{1}{2}$ lin. |
| Latitudo loricae inferioris ſumma | 5 poll. | — |
| Latitudo annuli ſternalis ſumma | 3 poll. | 5 lin. |
| Altitudo ſcuti cum ſterno - - | 1 poll. | 6 lin. |

§. 3.

## Sp. 4. Chelonia virgata Dumer.

Animal in juniori aetate quoad formam corporis Cheloniae Mydas ſimillimum eſſe, attamen ſubſtantia ſcutellorum longe differre, jam ſupra expoſitum eſt. Aetate provectiori teſta in formam fere orbicularem abit, qualem in Chelonia Caouana obſervavit Schoepf. (teſt. pag. 71. tab. 16. B.) De huiusmodi lorica hic ſermo erit.

Scutella diſci tredecim, pallide fuſca, luteo irregulariter radiata, laevia, dorſalia, leviter carinata. Scutellum vertebrale primum ſexangulare, multo latius quam longum: ſecundum, tertium et quartum regulariter ſexangularia, quintum quadrangulare, ſubconicum, baſi latiſſimum. Scutellum primum laterale rhomboideum, ſecundum et tertium quinquangularia, quartum oblongum, ſubquadrangulare. Bracteae marginales viginti quinque, antica ceteris brevior ac dilatata, cum proximis marginem tegens anticum, lunarem. Scutella verſus marginem teſtae poſticum latiora ſunt, marginem ſerratum et ſupra caudam bifidum conſtituentia.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Scutella lateralia marginis multo latiora quam in loricis Cheloniae Mydas eiusdem magnitudinis. Sternum huius ſpeciminis non vidi.

Menſurae.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Longitudo teſtae - - - - - | 1 ped. | 2 poll. | 3 lin. |
| Latitudo teſtae in primo ſcutello vertebrali - - - | — | 9 poll. | — |
| Latitudo teſtae in ſcutello tertio vertebrali - - - - | 1 ped. | 1 poll. | 3 lin. |
| Latitudo teſtae in quinto ſcutello vertebrali - - - - | — | 10 poll. | 9 lin. |
| Altitudo teſtae ſine ſterno - | — | 3 poll. | 6 lin. |

In iuniori ſpecimine muſei Pariſienſis aliam invenimus partium proportionem:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Longitudo animalis - - - - - | 1 ped. | 2 poll. | — |
| Longitudo capitis - - - - - | — | 2 poll. | 6 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - | — | 9 poll. | 3 lin. |
| Longitudo annuli ſternalis - - | — | 8 poll. | — |
| Latitudo capitis - - - - - - | — | 1 poll. | 8 lin. |
| Latitudo mediae teſtae - - - - | — | 8 poll. | 6 lin. |
| Latitudo teſtae ad femora - - - | — | 5 poll. | — |
| Latitudo annuli ſternalis - - - | — | 4 poll. | 10 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - | — | 3 poll. | 9 lin. |

§. 4.

Spec. 5. Chelonia Mydas β. ſcutellis diſci quindecim.

Teſta demiſſe carinata, carina continua. Scutellum quintum vertebrale leviter gibbum. Scutella diſci quindecim, diſpoſita uti in Chelonia Caouana. Bracteae marginales viginti quinque. Ungues palmarum

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

plantarumque duo. Sternum tredecim areis, utrinque rotundatum. Maxillae ſubintegrae. Intermedia itaque inter Ch. Mydas et Caouanam, priori tamen toto habitu maxime affinis eſt.

Menſurae.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - | | 4 poll. | 10 lin. |
| Longitudo colli - - - - - - - | | 4 poll. | — |
| Longitudo teſtae - - - - - - | 1 ped. | 4 poll. | 8 lin. |
| Longitudo annuli ſternalis - - | 1 ped. | 1 poll. | 4 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - | | 9 poll. | 6 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali ſecundo - - - - - - - - - | | 5 poll. | 8 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali quarto - - - - - - - - - | | 9 poll. | 6 lin. |
| Latitudo annuli ſternalis ſumma - - | | 7 poll. | 5 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - | | 6 poll. | 8 lin. |

§. 5.

Spec. 1. Chelydra lacertina.

Caput ovatum, globoſum, fronte depreſſa. Maxillae uncinatae integrae. Collum longe protractile, cum corpore papilloſum. Teſta convexa, oblonga, nigro-fuſca: diſcus ſulco circumſcriptus, ſcutellis tredecim laevibus obtectus. Scutellum primum vertebrale ſubquadrangulare, angulis breviſſimis: ſecundum, tertium et quartum ſexangularia, angulis breviſſimis, verſus caudam decreſcentia in latitudine, complanata, ſulco longitudinali dorſali loco carinae. Scutellum vertebrale quintum irregulare, in margine antico leviter arcuatum, in lateribus repando-ſinuatum, in margine poſtico triangulare, ceterum complanatum, tuberculo trigono in antica

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

antica parte. Scutella tria intermedia dorſi ſulco levi circumſcripta ſunt. Scutellum laterale primum in utraque teſtae parte circuli ſegmentum aequat: ſecundum et tertium quinquangularia demiſſe carinata, carina continua, quintum ſimiliter conformatum, at irregularius. Bracteae viginti quinque marginem conſtituunt: antica brevis ac lata, qualis in Cheloniarum ſpeciebus conſpicitur, reliquae anticae et laterales anguſtae, femorales latiſſimae, omnes integerrimae, poſticae dentium inſtar protractae.

Bracteae ſterni novem, quarum antica triangularis, cuneiformis, proximae pyramidales, angulis quatuor: poſticae triangulares; intermediae quinquangulares. Annulus ſternalis anguſtiſſimus; in utroque latere, mediante proprio oſſiculo, teſtae per ſymphyſin adhaeret. Pedes large palmati ſunt, papilloſi, ſquamis ſingulis, palmarum ungues quinque, plantarum quatuor: digitus quintus inermis. Cauda longiſſima, papilloſa, tuberculis longitudinalibus in criſtam diſpoſitis.

Menſurae.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Longitudo animalis - - - - - | 2 ped. | 3 poll. | 4 lin. |
| Longitudo capitis - - - - - | — | 3 poll. | 6 lin. |
| Longitudo colli non protracti - | — | 1 poll. | 4 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - | 1 ped. | — | — |
| Longitudo caudae - - - - - | — | 10 poll. | 6 lin. |
| Longitudo annuli ſternalis - - | — | 8 poll. | 3 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - | — | 3 poll. | 3 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello dorſali primo | | 8 poll. | 4 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello dorſali quarto | | 8 poll. | 11 lin. |
| Latitudo annuli ſternalis - - | — | 4 poll. | 3 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - | — | 4 poll. | 6 lin. |



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

§. 6.

Spec. 4 Emys naſuta.

Caput ovatum, demiſſe convexum, ſcutellulis numeroſiſſimis obtectum, naſo tuberculato, in cylindrum brevem protracto. Maxilla ſuperior, verſus apicem leviter utrinque ſinuata, inferior obtuſa, hamata, integra. Collum papilloſum, cirrhis duobus albidis filiformibus ſub maxilla inferiore. Teſta humilis fuſca, ſcutellis punctato-rugoſis, non areolatis, vertebralibus obtuſe carinatis. Scutellum dorſale primum in margine antico angulato-arcuatum, et inde quinquangulare: ſecundum et tertium ſexangularia, quartum ſexangulare, ceteris minus; quintum quadrangulare, poſtice dilatatum. Scutellum laterale anticum circuli ſegmentum aequat, ſecundum et tertium quinquangularia, quartum minimum ſubquadratum. Margo teſtae integer, bracteis viginti quinque, quarum antica quadrato-oblonga, laterales albido marginatae, femorales paululum maiores. Sternum tredecim areis, antice rotundatum, poſtice bifidum, fuſcum, utrinque luteo marginatum. Pedes ſquamoſi, digiti larga membrana conjuncti: palmarum ungues quinque, plantarum quatuor, digito quinto inermi. Cauda non exſerta.

Similis ſpecies noſtra E. dorſatae, differt autem carina humili, figura ſcutelli marginalis antici et cirrhis mentalibus.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo animalis collo non protracto | 3 poll. | — |
| Longitudo capitis - - - - - - - | — | 7 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - - | 2 poll. | 2 lin. |
| Longitudo caudae - - - - - - - | — | 4 lin. |

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo ſterni - - - - - - - - | 1 poll. | 9 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - - - | — | 5 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo dorſali - - - - - - - - | 1 poll. | 6 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali - - - - - - - | 1 poll. | 9 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - | — | 5 lin. |
| Latitudo medii ſterni - - - - - | — | 11 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - | — | 4 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - | — | 7 lin. |

§. 7.

Spec. 5. Emys leproſa Schoepf.

Caput cute laevi veſtitum, ovatum, fronte complanata, ore acuto. Maxilla ſuperior verſus apicem utrinque ſinuata, ceterum integra, inferior hamata, acuta. Collum ſtriis longitudinalibus papilloſis ornatum. Teſta ovata, obſcure flavida. Scutella diſci tredecim, ſingulis tuberculis calcareis quaſi verrucoſa. Scutella vertebralia tuberculato-carinata: primum quinquangulare, margine antico latiori, rotundato, ſecundum et tertium ſexangularia, quartum irregulariter ſexangulatum, verſus marginem poſticum anguſtatum, ſinuatum, quintum poſtice dilatatum, utrinque arcuatum. Scutella lateralia antica circuli ſegmentum aequant, ſecundum et tertium quinquangularia, quartum quadrangulare, ceteris minus. Bracteae viginti quinque marginem conſtituunt, antice leviter ſinuatum, in lateribus nonnihil revolutum, ad femora dilatatum, ſupra caudam declivem. Bractea antica ceteris minor, ad baſin ſinuata: omnes concolores, tuberculis calcareis rarioribus. Sternum antice truncatum, poſtice bifidum, in duodecim areas diviſum, per



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

ſymphyſin cum teſta conjunctum: bracteae nigricantes, luteo irregulariter marginatae. Pedes ſquamoſi, digiti larga membrana conjuncti. Palmarum ungues quinque, plantarum quatuor, digitus quintus inermis. Cauda longe exſerta, ſquamoſa.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - | 1 poll. | — |
| Longitudo teſtae - - - - - - - | 3 poll. | 3 lin. |
| Longitudo caudae - - - - - - - | 1 poll. | 6 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - | 3 poll. | 1 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - - | — | 7 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo dorſali | 2 poll. | 4 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello dorſali quarto | 2 poll. | 5 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - | — | 8 lin. |
| Latitudo medii ſterni - - - - - - | 1 poll. | 6 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - | — | 7 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - | 1 poll. | 2 lin. |

§. 8.

Spec. 6. Emys cayennenſis.

Caput ſquamis membranaceis obtectum. Bractea ovalis in vertice, maculis duabus luteis inſignis: minores circa oculos, luteo maculatae. Maxillae integerrimae. Naſus longitudinaliter profunde ſulcatus. Collum nudum. Teſta cum capite flavo-viridis, ovalis, convexa. Scutella diſci tredecim: dorſale anticum planum et quinquangulare, ſecundum et tertium ſexangularia cum quarto carinata, quod irregulariter quinquangulare: quintum quadrangulare, planiuſculum, in margine poſtico latiori rotundato-angulatum. Scutella diſci lateralia irregularia: primum circuli ſegmentum aequat, ſecundum et tertium quinquangularia, in baſi varie an-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

gulata, quartum ceteris minus, primo ſimile. Areolae laeves, lineolis irregulariter circumſcriptae, in angulo poſteriori et ſuperiori ſcutellorum lateralium poſitae et in ſcutello laterali quarto verſus angulum inferiorem ac poſticum. Margo ſcutellorum poſticus niger eſt. Margo teſtae bracteis viginti quatuor munitus eſt, quorum duae anticae minores, obliquae, cum proximis maioribus ſinum teſtae triangularem circumdant. In lateribus loricae bracteae marginales, anguſtiores ſunt, dilatatae ſupra caudam ac femora. Sternum dilute fuſcum, tredecim bracteis obtectum. Corpus ſterni anguſtum; proceſſus, quibus cum teſta connectitur, dilatati: lobus anterior truncatus, crenulatus, poſterior bifidus, dentibus rotundatis, media pars ſterni bracteis quatuor obtecta. Pedes palmati, pentadactyli, anteriores unguibus quinque, poſteriores unguibus quatuor armati. Cauda vix exſerta.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - - | 1 poll. | 5 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - - | 5 poll. | 6 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - | 5 poll. | — |
| Latitudo capitis - - - - - - - - | — | 7 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo vertebrali | 3 poll. | 11 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali | 4 poll. | 4 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - | — | 10 lin. |
| Latitudo corporis ſterni - - - - - | 2 poll. | — |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - | 1 poll. | — |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - | 2 poll. | 1 lin. |

§. 9.

Spec. 7. Emys gibba.

Caput nigrum, depreſſum, ſcutellis numeroſis membranaceis obtectum. Collum elongatum, papilloſum.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Teſta ovalis, nigra, verſus marginem anteriorem declivis, fere horizontalis. Tredecim ſcutella diſcum occupant, quorum quinque dorſalia, verſus marginem teſtae poſticum anguſtiora: primum planum, quadrangulare, margine antico latiſſimo repando-angulato: ſecundum ſexangulare poſtice gibbum: tertium ſexangulare, tuberculo maiori: quartum minimum, irregulariter ſexangulare: quintum irregulare, tuberculo triangulari plano munitum, tanquam proceſſu carinae dorſalis. Pars anterior huius ſcutelli a tubere obtecta et anguſta eſt, latera cum margine poſteriori dilatato ac ſinuoſo complanata. Scutella diſci lateralia verſus marginem teſtae poſticum minora, quartum minimum. Primum ſubquadrangulare, margine exteriore latiſſimo: ſecundum, tertium et quartum quadrangularia, margine ſuperiori et inferiori repando. Margo teſtae integer, poſtice dilatatus, bracteis viginti quatuor obtectus, quarum antica anguſtiſſima, longa, cum proximis quadratis ac latiſſimis plana: laterales revolutae, femorales horizontales, caudales declives. Sternum in tredecim areas diviſum, antice rotundatum, poſtice bifidum, lobis acutis. Pedes ſquamoſi, palmati, pentadactyli, palmarum unguibus quinque, plantarum quatuor. Cauda vix exſerta.

Menſurae.

| | |
|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - - | 1 poll. 3 lin. |
| Longitudo colli protracti - - - - - | 1 poll. 2 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - - - - | 5 poll. 8 lin. |
| Longitudo caudae - - - - - - - - | — 8 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - | 5 poll. 4 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - - | 1 poll. 1 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo dorſali | 3 poll. 7 lin. |

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

| | |
|---|---|
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto dorſali - - - - - - - - - - | 4 poll. 2 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - - | 1 poll. 4 lin. |
| Latitudo medii ſterni - - - - - - - | 1 poll. 6 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - - | 1 poll. 2 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - - | 2 poll. — |

§. 10.

Spec. 8. Emys expanſa.

*α.* teſta e muſeo cel. Richard.

Teſta oblonga, depreſſa, laevis, nigro-fuſca, ſcutellis complanatis, latiſſimis, curvilineis. Tredecim ſcutella diſcum conſtituunt: primum vertebrale ſubquadratum, margine antico leviter arcuato in angulum brevem protracto: ſecundum et tertium ſexangularia, marginibus lateralibus undulatis, antico rotundato, poſtico ſinuato, ceterum demiſſe ac obtuſe carinata: quartum irregulariter ſexangulare, planum, poſtice anguſtius: quintum antice anguſtum, poſtice dilatatum, arcuatum. Scutellum primum laterale circuli quadrantem aequat: ſecundum et tertium oblonga, quadrangularia, margine antico undulato: quartum ceteris minus, quadratum, ſubrectilineum. Bracteae marginis viginti quatuor, duae anticae in commiſſura breviores, et inde margo anterior ſinuatus; femorales et caudales latiſſimae, ſubhorizontales, commiſſuris rectilineis. Sternum ſolidum, intime cum teſta connatum, in tredecim areas diviſum, et totidem bracteis munitum, ſine ullo ſcutello acceſſorio. Lobus ſterni anterior rotundatus, poſticus bifidus, alis rotundatis.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Menſurae.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Longitudo teſtae - - - - - - | 1 ped. | 2 poll. | 6 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - | 1 ped. | 1 poll. | 6 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello primo vertebrali | | 7 poll. | 8 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello tertio vertebrali | | 11 poll. | 6 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali | | 10 poll. | 8 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - | | 5 poll. | 6 lin. |
| Latitudo corporis ſterni - - - - | | 9 poll. | — |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - | | 3 poll. | 3 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - | | 5 poll. | 2 lin. |

β. var. e muſ. Pariſ.

margine teſtae poſtico declivi, non horizontali.

Caput ovale glabrum, naſo longitudinaliter ſulcato. Maxillae integrae, ſuperior leviter ſinuata, inferior obtuſa, vix arcuata. Collum craſſum. Pedes pentadactyli, unguibus palmarum quinque, plantarum quatuor. Digiti larga membrana conjuncti.

Menſurae.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - | | 2 poll. | 10 lin. |
| Longitudo colli protracti - - - | | 2 poll. | — |
| Longitudo teſtae - - - - - | 1 ped. | 2 poll. | 11 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - | 1 ped. | 1 poll. | 4 lin. |
| Latitudo capitis - - - - | | 2 poll. | — |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo dorſali | | 8 poll. | 10 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali | | 10 poll. | 3 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - | | 5 poll. | — |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - | | 4 poll. | 7 lin. |
| Latitudo corporis ſterni - - - - - | | 5 poll. | 6 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - | | 5 poll. | 5 lin. |

Digitized by Google	Original from PRINCETON UNIVERSITY

§. 11.

Spec. 9. Emys Dumeriliana.

Caput craſſum, naſo convexo glaberrimo, obtuſo. Maxilla ſuperior uncinata, utrinque profunde ſinuata: inferior quam maxime hamata, acuta. Teſta nigra, ovalis, poſtice dilatata, ſcutellis planiuſculis, irregularibus. Scutellum primum dorſale quadratum, ſecundum, tertium et quartum quadrangularia, poſtice anguſtiora: quintum ſuborbiculare, in margine antico et poſtico truncatum. Scutellum laterale primum circuli quadrantem aequat, ſecundum, tertium et quartum ſubquinquangularia. Bracteae marginis viginti quatuor, duae anticae minores, in commiſſura anguſtatae, proximae latiores et ſic ſcutella marginalia latitudine increſcunt verſus caudam. Margo teſtae poſticus leviter complanatus. Sternum in tredecim areas diviſum, antice rotundatum, ſubtruncatum, poſtice bifidum, intime cum teſta conjunctum. Corpus cum pedibus nudum. Pedes palmati, pentadactyli, palmarum ungues quinque, plantarum quatuor. Cauda craſſa, acuta, exſerta.

Menſurae.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - | | 4 poll. | 5 lin. |
| Longitudo colli protracti - - - - | | 2 poll. | 9 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - | 1 ped. | 2 poll. | 6 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - | 1 ped. | — | — |
| Longitudo caudae - - - - - - | | 1 poll. | 10 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - | | 3 poll. | 3 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali ſecundo - - - - - - - | | 10 poll. | — |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali quarto - - - - - - - | | 10 poll. | 3 lin. |

| | | |
|---|---|---|
| Latitudo marginis ſterni antici - - | 6 poll. | — |
| Latitudo corporis ſterni - - - - | 5 poll. | 6 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - | 4 poll. | 5 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - | 5 poll. | 11 lin. |

§. 12.

Spec. 10. Emys reticulata Boſc.

Emys reticulata, ut et ſerrata, a Daudin quidem jam deſcripta eſt; adeo tamen confuſis characteribus ſingularum ſpecierum, ut novae expoſitionis deſiderium oriatur. Examinavimus teſtam e proprio muſeo ill. Boſc., ita conformatam, ut nunc explicabitur.

Teſta humilis, antice et poſtice declivis, in lateribus convexior, ſcutellis dorſalibus mediis complanatis. Diſcus ſulco levi circumſcriptus. Scutella nigra, vix areolata, lineis luteis reticulata, cum lineola longitudinali, carinae inſtar, vertebris incumbente. Reticulum irregulare interſtitiis ſpatioſis. Ceterum ſcutella glabra, leviſſime rugoſa: primum dorſale quinquangulare, angulo marginis antici protracto et truncato, poſtico anguſtiore curvilineo: ſecundum ſexangulare, in margine antico curvilineum: tertium ſexangulare, margine poſtico profunde ſinuato: quartum ſexangulare, antice arcuatum, poſtice anguſtius, ſinuatum: quintum utrinque rotundatum, pyramidale, in baſi latiſſimum. Scutellum laterale primum circuli quadrantem aequat: ſecundum et tertium quinquangularia, angulo ſuperiori breviſſimo: quartum trapezoideum. Margo integerrimus, bracteis viginti quinque munitus, quarum antica linearis longa. Bracteae laterales ceteris anguſtiores, femorales cum anterioribus multo latiores, ſubhorizontales,

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

caudales paululum breviores. Scutella marginalia in pagina ſuperiori nigra, in inferiori luteſcentia, maculis ſparſis nigris. Sternum utrinque truncatum, in duodecim areas diviſum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo teſtae - - - - - - - - | 6 poll. | 4 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo vertebrali - - - - - - - - | 3 poll. | 11 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali | 4 poll. | 5 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - | 5 poll. | 10 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - | 1 poll. | 6 lin. |
| Latitudo corporis ſterni - - - - | 2 poll. | 7 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - | 1 poll. | 1 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - - - | 2 poll. | 6 lin. |

§. 13.

Spec. 12. Emys ſerrata Daud.

Caput ovale, planum, cute laevi obtectum, ore obtuſo. Maxillae integrae, ſuperior verſus apicem leviſſime ſinuata. Collum papilloſum, ſquamulis ſparſis. Teſta convexa, ovalis, nigro-fuſca, ſtriis irregularibus, pallide luteis variegata. Tredecim ſcutella, vix areolata, diſcum occupant: vertebralia quinque, interrupte carinata, carina in margine poſtico uniuscuiusque ſcutelli incraſſata. Sulcus diſcum circumdat, ad femora profundior. Scutellum dorſale primum oblongum, in medio marginis antici et poſtici protractum: ſecundum et tertium ſexangularia: quartum ſexangulare, poſtice anguſtius: quintum pyramidale, antice rotundatum. Scutellum laterale primum circuli quadrantem aequat: ſecundum et tertium latiſſima, in margine ſuperiori an-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

gulata: quartum trapezoideum. Margo teſtae antice truncatus, ſinuatus, ſubhorizontalis, poſtice declivis, ſcutellis femoralibus latioribus. Bracteae viginti quinque marginales, antica linearis, laterales leviter revolutae, poſticae ſinuatae et in adultis bifidae, in pagina ſuperiori nigro-fuſcae, nonnihil luteo variegatae, in pagina inferiori luteſcentes, laterales macula rotunda nigra inſignes. Sternum intime cum teſta conjunctum, bracteis duodecim luteſcentibus obtectum, antice truncatum, poſtice profunde ſinuatum. Pedes palmati pentadactyli, palmarum unguibus quinque, plantarum quatuor, digito quinto inermi. Cauda vix exſerta.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - - - | 1 poll. | 2 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - - - - | 5 poll. | 1 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - - | 4 poll. | 9 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali ſecundo | 4 poll. | 4 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali quarto | 4 poll. | 5 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - - - - | — | 7 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - - - | — | 8 lin. |
| Latitudo medii ſterni - - - - - - - - | 2 poll. | 7 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - - | — | 8 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - | 2 poll. | 3 lin. |

§. 14.

Spec. 13. Emys discolor Thunb.

Huius ſpeciei, quae in muſeo Upſalienſi ſervatur, ill. Thunberg deſcriptionem ſequentem mecum communicavit.

„Teſta magnitudine manus, ovato-oblonga, duplo longior quam lata, convexa, dorſo plana, lateribus de-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

clivis, antice poſticeque parum exciſa, ſordide flava, faſciis variis inaequalibus, frequentibus, fuſcis. Scutella omnia ſtriata, ſtriis intra marginem pluribus aut rarioribus, parum profundis. Scutella dorſalia quinque: primum maximum, antice latius, quadrangulum: ſecundum quadratum: tertium quadrangulare, prioribus paululum longius: quartum rhombeum, minimum: quintum anguſtatum, poſtice dilatatum. Scutella diſci lateralia utrinque quatuor: anticum ſubrhombeum: intermedia quadrata, poſticum angulo infimo producto. Scutella marginalia viginti quinque, ſubquadrata, inaequalia, poſtice ſubſerrata, anteriora retroflexa, femoralia dilatata, anticum impar, lineare. Sternum antice rotundatum, poſtice bifido-exciſum, atrum, marginibus flavis. Scutella tria antica minora, quorum lateralia triangularia, intermedium quinquangulare. Secundum par ſubquadratum, margine interno rotundato: tertium anguſtiſſimum, parallelogrammiforme: quartum et quintum quadrata, maiora ſextum duplo fere minus. Scutella ſterni omnia in margine interiori et ſuperiori ſtriis pluribus notata. Margines teſtae laterales inferne flavi, maculis faſciolisque nigris. Suturae omnes albicantes. — Digiti diſtincti, unguiculati, ceterum animal ignotum. Patria ignota."

§. 15.

Spec. 15. Emys luteſcens.

Caput glabrum, ſine ullo ſcutello, fronte complanata, roſtro obtuſo. Collum laeve. Teſta ſordide lutea, ventricoſa, oblonga, dorſo complanato, leviter et obtuſe carinato. Scutella diſci tredecim: primum verte-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

brale quinquangulare, angulo antico rotundato, margine poſtico anguſtato: ſecundum et tertium quadrata, angulo brevi proſiliente in media parte marginis antici et lateralium, margine poſtico ſinuato: quartum ſimiliter conformatum, at in margine poſtico triangulariter exciſum: quintum denique irregulare, margine antico triangulari, undulato, poſtico arcuato, angulato, latiori. Scutellum laterale primum irregulare: ſecundum, tertium et quartum quadrata, margine exteriori varie angulato, quartum ceteris minus. Margo teſtae integer, ſupra collum leviter ſinuatus, ſcutellis viginti quinque munitus, quorum anticum minimum, femoralia reliquis majora. Sternum in duodecim areas diviſum, planum, fuſcum, antice retuſum, poſtice bifidum, lobis obtuſis. Pedes palmati, pentadactyli, palmarum unguibus quinque, plantarum quatuor, cum digito quinto inermi. Cauda teres, laevis, exſerta.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - - | 1 poll. | 3 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - - - | 5 poll. | 7 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - | 5 poll. | 3 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo vertebrali | 3 poll. | 5 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali | 3 poll. | 9 lin |
| Latitudo marginis ſterni antici - - - | 1 poll. | — |
| Latitudo corporis ſterni - - - - - - | 2 poll. | 3 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - - | 1 poll. | 2 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - | 2 poll. | 1 lin. |

§. 16.

Spec. 15. Emys Geoffroana.

Caput ovale, nigerrimum, depreſſum, ore obtuſo, maxillis integris. Collum craſſum, longum, cum capite

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

ad latera recondendum, nigrum, inferne ſtriis nonnullis flavis. Teſta nigra, convexa, dorſo complanato, ſcutellis vertebralibus obtuſe et interrupte carinatis, antice declivis, lateribus retroflexis. Scutellum primum vertebrale ſubquadratum, complanatum, in margine antico undulatum ac dilatatum: ſecundum, tertium et quartum ſexangularia: quintum pyramidale. Scutellum laterale primum obliquum, margine exteriori dilatato: ſecundum, tertium et quartum ſubquinquangularia, longa. Bracteae viginti quinque marginem tegunt, antica anguſtiſſima, longa. Sternum in tredecim areas diviſum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum, antice truncatum, emarginatum, poſtice profunde ſinuatum, lobis ſubacutis. Pedes palmati, pentadactyli, plantarum digitus quintus inermis.

## Menſurae.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - | | 2 poll. | 6 lin. |
| Longitudo colli protracti - - - - | | 4 poll. | 5 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - | 1 ped. | 2 poll. | 4 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - | 1 ped. | 1 poll. | 3 lin. |
| Longitudo caudae - - - - - - - | | 1 poll. | 2 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - - | | 2 poll. | 5 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo vertebrali - - - - - - - - | | 9 poll. | 3 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali - - - - - - - - | | 10 poll. | 2 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - - | | 4 poll. | 9 lin. |
| Latitudo medii ſterni - - - - - | | 6 poll. | — |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - | | 3 poll. | 9 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - | | 5 poll. | 1 lin. |

Digitized by Google
Original from PRINCETON UNIVERSITY

§. 17.

Spec. 24. Emys olivacea.

Teſta planiuſcula, oblonga, pallide fuſca, ſcutellis diſci tredecim, quorum primum dorſale quinquangulare, angulo antico brevi, ſecundum et tertium ſexangularia, multo latiora quam longa, quartum ſexangulare, poſtice anguſtatum, quintum trapezoideum. Scutellum laterale primum et quartum circuli quadrantem aequant: duo intermedia quinquangularia. Areola uniuscuiusque ſcutelli, imprimis autem ſcutellorum dorſalium paululum protracta eſt et rugae laeves exinde verſus marginem bracteae tendunt. Sulci duo ab areola et inter ſe diſtantes bractearum et areolarum ambitum circumſcribunt, (qualis enim bractearum forma, talis in plerisque Cheloniis areolarum et ſulcorum figura). Scutella marginalia viginti quatuor, fere quadrata, antica maiora, lateralia anguſtiſſima, femoralia dilatata. Margo teſtae leviſſime crenulatus. Sternum — Animal —.

Menſurae.

| | |
|---|---|
| Longitudo teſtae - - - - - - - - - | 4 poll. — |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo vertebrali | 2 poll. 9 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali | 3 poll. — |
| Altitudo teſtae ſine ſterno - - - - | 1 poll. 3 lin. |

§. 18.

Spec. 27. Emys Adanſonii.

Teſta demiſſe convexa, margine poſteriori dilatato, ſcutellis diſci tredecim: primum vertebrale planum, longiſſimum, panduraeforme, margine anteriori undulato, angulis lateralibus elongatis, margine poſtico rectilineo: ſecundum planum et ſexangulare, verſus marginem poſticum leviter carinatum: tertium excelſe carinatum,

ſexan-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

ſexangulare, carina utrinque in dentem complanatum proſiliente: quartum irregulariter ſexangulare, carinatum, carina poſtice tuberculoſa, in margine poſtico angustatum, ſinuatum: quintum leviter carinatum, triangulare, apice rotundato ſinum ſcutelli quarti explens, in margine poſtico dilatatum, undulato-arcuatum. Scutellum laterale primum irregulare, reliqua quadrangularia, marginibus inferioribus varie angulatis, intermedia reliquis maiora. Bracteae marginales viginti quatuor, laterales anguſtiores, femorales ceteris maiores, duo anticae ovato-quadratae, rectae. Margo teſtae integer, antice et poſtice leviſſime ſinuatus. Tota teſta flava, punctis copioſiſſimis nigris eleganter adſperſa.

Menſurae.

| | |
|---|---|
| Longitudo teſtae - - - - - - - - | 5 poll. 8 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali primo | 3 poll. 2 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello dorſali tertio | 4 poll. 2 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali quarto | 4 poll. 6 lin. |
| Altitudo teſtae ſine ſterno - - - - | 1 poll. 10 lin. |

§. 19.

Spec. 32. Emys trijuga.

Teſta convexa fuſca, diſco tricarinato, ſcutellis tredecim obtecto, ſulco profundo utrinque prope marginem circumſcripto. Scutellum primum vertebrale oblongum, curvilineum, antice parum dilatatum, demiſſe carinatum: ſecundum et tertium ſexangularia, excelſe carinata, carina in ſcutellorum commiſſura interrupta: quartum ſexangulare, excelſe carinatum, poſtice anguſtatum, angulis lateralibus acutioribus: quintum pyramidale, poſtice dilatatum, carinatum. Scutellum laterale anticum circuli quadrantem aequat, carina gibboſa: ſecundum et



Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

tertium irregulari-quinquangularia, obtuſe carinata, curvilinea: quartum ſubquadratum, ſubcarinatum. Bracteae marginales viginti quinque, femorales latiores, caudales breviores, ceterum omnes fuſcae, in margine exteriori flavo marginatae, ſingulae in pagina inferiori macula triangulari nigra notatae. Scutellum marginale anticum ceteris anguſtius eſt, ſubtrigonum, apice rotundato: reliqua ſubaequalia, in commiſſuris leviter protracta, et inde margo teſtae ſubſerratus. Areolae nigrae, punctato-rugoſae. Sternum antice truncatum, ſinuatum, poſtice bifidum, ſcutellis duodecim flavis, nigro notatis; cum teſta proceſſibus altiſſimis, bracteis propriis munitis, per ſymphyſin conjunctum. Animal ignotum. Differt ſpecies noſtra ab affinibus:

α. ab E. Retzii.

1. ſterno immobili, antice truncato, poſtice bifido.
2. areis quatuor corporis ſterni.
3. teſta multo maiore, et celerius oſſeſcente.
   Sternum loricae a cel. Lechenault muſeo Pariſienſi traditae in centro adhuc membranaceum eſt, contra vero ſpecimen E. Retzii, quod examinavi, licet multo minus, ſternum jam ubique clauſum habet.
4. areolis minoribus et rugis ſcutellorum rarioribus.
5. ſcutellis marginalibus viginti quinque.

β. ab Emyde ſcorpioidea.

1. ſterno immobili, areis quatuor in medio lobo.
2. carinis interruptis, ſubgibbis.
3. ſcutellis lateralibus marginis latis.
4. diſco teſtae ſulco profundo circumſcripto.
5. teſta ovata, ſcutellis vertebralibus latioribus quam longis.

Menſurae.

Longitudo teſtae - - - - - - - - - 3 poll. 6 lin.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

| | | |
|---|---|---|
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali | 2 poll. | 8 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo vertebrali | 2 poll. | 6 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - - | 3 poll. | — |
| Latitudo marginis ſterni antici - - - | 1 poll. | — |
| Latitudo corporis ſterni - - - - - - | 1 poll. | 7 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - - | — | 7 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - - - | 1 poll. | 7 lin. |

§. 20.

Spec. 33. Emys Herrmanni.

Caput ovale, glabrum, fronte complanata, ore obtuſo. Maxillae ſubintegrae, ſuperior verſus apicem leviter ſinuata, inferior paululum uncinata, obtuſa. Collum teres, papilloſum. Teſta fuſca, demiſſe convexa, tricarinata: carinae continuae acutae. Scutella diſci tredecim, laevia, ſtriis ſingulis rugoſis, areolis vix conſpicuis, leviter protractis. Scutellum primum vertebrale carinatum, curvilineum, irregulari-quinquangulare, margine antico rotundato, in lateribus repandum: ſecundum et tertium carinata, ſexangularia, angulis brevibus: quartum carinatum, ſexangulare, poſtice anguſtatum, truncatum: quintum triangulum, carinatum, antice acutum, poſtice dilatatum, angulatum. Scutellum laterale primum circuli quadrantem aequat, carinatum, in angulo ſuperiori et poſteriori gibbum: ſecundum et tertium quinquangularia, carinata, in eodem angulo gibba: quartum ſubquadratum, curvilineum. Bracteae marginales viginti quinque, ſubquadratae, antica anguſta, pyramidalis, in baſi ſinuata, apice obtuſo, proximae multo maiores, laterales vix minores, revolutae, femorales latiores, caudales breviores. Margo integer, ſupra collum et caudam ſinuatus. Sternum antice truncatum, poſtice bifidum, lobis acutiuſculis, in



Digitized by Google
Original from
PRINCETON UNIVERSITY

duodecim areas diviſum, per ſymphyſin cum teſta conjunctum. Areae quatuor mediam partem ſterni componunt, et bractea acceſſoria in utroque margine proceſſuum lateralium ſterni. Pedes ſquamoſi palmati, palmarum ungues quinque, plantarum quatuor, cum digito quinto inermi. Cauda teres exſerta. Differt a ſimilibus:

α. Emyde trijuga.

1. diſco non circumſcripto.
2. carinis continuis.
3. bracteis marginalibus unicoloribus.
4. areolis vix diſtinctis.
5. ſterno humiliori fuſco, proceſſibus multo brevioribus.

β. ab Emyde Retzii.

1. lobo ſterni poſtico bifido.
2. areis medii ſterni quatuor.
3. areolis vix diſtinctis.
4. bracteis marginalibus viginti quinque.
5. Cauda exſerta.
6. ſterno immobili.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - | 1 poll. | 2 lin. |
| Longitudo colli protracti - - - - | 1 poll. | 8 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - - - | 6 poll. | 5 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - | 5 poll. | 11 lin. |
| Longitudo caudae - - - - - - - | 1 poll. | 6 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - - - - | — | 11 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali ſecundo | 4 poll. | 2 lin |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali quarto | 4 poll. | 4 lin |
| Latitudo marginis ſterni antici - - - | 1 poll. | 3 lin. |
| Latitudo corporis ſterni - - - - - - | 2 poll. | 9 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - | 1 poll. | 1 lin |
| Altitudo teſtae - - - - - - - | 2 poll. | — |

Digitized by Google
Original from PRINCETON UNIVERSITY

§. 21.

Spec. 38. Emys caſtanea.

Teſta ovalis, convexa, badia. Scutella diſci tredecim, ſublaevia, areolis nigris rugoſis latis. Rugae tenerae ab areolis verſus ſcutellorum margines tendunt. Scutellum vertebrale primum oblongum, quadrangulare, vix carinatum, margine anteriori latiori ac rotundato: ſecundum irregulari-ſexangulare, antice anguſtius, carinatum: tertium ſexangulare, carinatum: quartum irregulari-ſexangulare, poſtice anguſtatum, carinatum: quintum ſubtriangulum, leviſſime carinatum. Carina continua, acuta. Scutellum laterale primum circuli quadrantem aequat: ſecundum et tertium oblonga, quadrangularia: quartum quadratum. Bracteae marginales viginti quatuor, duae anticae proximis minores, ſubquadratae, rectae: laterales anguſtiſſimae, femorales latiſſimae, caudales paululum minores, quadratae. Sternum in tredecim areas diviſum, luteum, maculis latis fuſcis. Lobus anterior mobilis, rotundatus, in areas ſeptem partitus, quarum antica longa, ſubquinquangularis, cum duabus lateralibus triangulis conjuncta, reliquae oblongae, margine interiori anguſtiore. Lobus poſtibus anguſtus, bifidus, laciniis acutis, bracteisque quatuor obtectus. Lobus intermedius e duabus tantum areis quadrangularibus conſtat, intime cum teſta conjunctus.

Menſurae.

| | |
|---|---|
| Longitudo teſtae - - - - - - - - - - | 2 poll. 9 lin. |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - - - | 2 poll. 6 lin. |
| Longitudo lobi anterioris ſterni - - - | 1 poll. — |
| Latitudo teſtae in medio dorſi - - - - | 2 poll. 1 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello dorſali quarto - | 2 poll. 2 lin. |

Digitized by Google    Original from PRINCETON UNIVERSITY

| | |
|---|---|
| Latitudo lobi antici ſternalis - - - - - | 1 poll. 6 lin. |
| Latitudo ſterni medii - - - - - - - | 1 poll. 8 lin. |
| Latitudo lobi ſternalis poſtici - - - - | 1 poll. 3 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - - - | 1 poll. 1 lin. |

§. 22.

Spec. 41. Emys Conro Lechen.

Teſta globoſa, dorſo complanato, demiſſe carinato. Scutella diſci tredecim: primum vertebrale quinquangulare, margine anteriori arcuato: ſecundum, tertium et quartum ſexangularia: quintum irregulare longum, verſus caudam dilatatum. Scutella lateralia convexa, leviter et acute carinata: primum circuli quadrantem aequat: ſecundum et tertium ſexangularia: quartum minimum, quadrangulum. Margo teſtae integer, bracteis viginti quinque munitus, quarum antica anguſtiſſima, reliquae ſubaequales, ſupra pedes anteriores et poſteriores paululum revolutae. Sternum integrum, bivalve, utrinque rotundatum, areis duodecim, ambitum teſtae undique tegens, et ligamento adhaerens. Teſta nigricans, ſternum ſordide luteum, maculis nigris nebuloſis, quae et in pagina inferiori bractearum marginalium conſpiciuntur.

Deſcriptionem animalis, quod non vidi, cel. Lechenault e ſchedulis ſuis ſic dedit: Corpus nigrum, luteo variegatum. Caput oblongum, lineola lutea juxta oculos. Pedes palmati, pentadactyli, palmarum unguibus quinque, plantarum quatuor, cum digito quinto mutico. — Vidit quondam cel. vir in itinere emydem ſine ullo ſcutello. An chelonii bracteas deponant jam diu inter auctores lis eſt, iſta vero et alia Schneideri obſervatione (1 Beytrag zur Schildkr. pag. 13.) quaeſtio confirmari videtur.

Digitized by Google
Original from
PRINCETON UNIVERSITY

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo teſtae - - - - - - - - - | 11 poll. | — |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - - | 9 poll. | 1 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo vertebrali | 4 poll. | — |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto vertebrali | 4 poll. | 11 lin. |
| Latitudo ſterni medii - - - - - - - | 3 poll. | 9 lin |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - - | 2 poll. | 10 lin. |

§. 23.

Spec. 44. Emys Schneideri.

Teſta convexa, carinata. Carina excelſa, in areola uniuscuiusque ſcutelli dorſalis incraſſata: tredecim diſcum conſtituunt. Scutellum primum vertebrale quinquangulare: ſecundum, tertium et quartum ſexangularia, carina in utroque margine dentium inſtar proſiliens: quintum quadrangulare, poſtice angulato-arcuatum. Scutellum laterale primum irregulare: ſecundum et tertium quinquangularia, quartum minimum, irregulari-quadrangulum. Margo bracteis viginti ſeptem conſtituitur, quarum antica ceteris minor: ceterum margo integer, ſupra collum ſinuatus. Areolae centrales, diſtinctae, lineis regulariter circumſcriptae, macula nigro-fuſca notatae. (Hisce characteribus ſpecies noſtra facillime diſtinguitur ab Emyde clauſa, cuius areolae excentricae, oblitteratae et unicolores ſunt.) Sternum bivalve, antice rotundatum, poſtice truncatum, teſtam exacte claudens, in duodecim areas diviſum. Lobus anterior mobilis, adſcendens, poſterior horizontalis, ligamentis cum priori et cum teſta conjunctus. Medium ſterni ex duabus areis formatum eſt.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo teſtae - - - - - - - - - - | 3 poll. | 5 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo dorſali | 2 poll. | 4 lin. |

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

| | | |
|---|---|---|
| Latitudo teſtae in ſcutello dorſali quarto | 2 poll. | 8 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - - - | 1 poll. | 4 lin. |

In ſpecimine maiori muſei Herrmanniani, 3 poll. 9 lin. longo, altitudo teſtae increverat 7 lin., latitudo in ſcutello dorſali quarto tantum 2 lin., in ſcutello ſecundo autem 5 lin.

§. 24.

Spec. 7. Teſtudo angulata Dumer.

Caput ovatum, ſquamoſum, ore obtuſo, maxillis ſerrulatis. Teſta ventricoſa, ſcutellis diſci tredecim nigris, areolatis, areolis flavis. Scutella rectilinea, lineis pluribus elevatis inſignia, quibus areolae circumdantur, quae depreſſae, centrales, rugoſae, in centro leviter protractae. Scutella diſci elevata, primum vertebrale quinquangulare, angulo antico protracto, retuſo: ſecundum et tertium ſexangularia: quartum ſexangulare, poſtice anguſtatum: quintum pyramidale, in margine poſtico dilatatum, angulato-arcuatum. Scutellum laterale primum circuli quadrantem aequat: ſecundum et tertium quinquangularia: quartum obliquum, quadrangulare. Bracteae marginis viginti quatuor, quarum antica linearis, proximis latioribus longior. Margo ſupra collum ſinuatus, ſupra pedes declivis, in lateribus fere perpendicularis: bractea caudalis lata, uncinata, obtuſa. Bracteae ceterum luteae, cum macula triangulari marginis poſtici. Sternum antice truncatum, anguſtiſſimum, poſtice bifidum, luteſcens, maculis ſtriisque nigris; in undecim areas diviſum. Pedes ſquamoſi, palmarum ungues quinque, plantarum quatuor. Cauda craſſa, exſerta.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - - - | — | 11 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - - - - | 4 poll. | 7 lin. |

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo ſterni - - - - - - - - - - - | 4 poll. | 4 lin. |
| Longitudo caudae - - - - - - - - - | — | 8 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - - - - - | — | 7 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali primo | 2 poll. | 10 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello vertebrali quarto | 3 poll. | 4 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici - - - - | — | 5 lin. |
| Latitudo corporis ſterni - - - - - - - | 2 poll. | 3 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici - - - - | 1 poll. | 4 lin. |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - - - | 2 poll. | 3 lin. |

§. 25.

Spec. 12. Teſtudo rotunda Latr.

Haud ſuperfluam credo novam huius teſtudinis deſcriptionem, quum auctores de hac ſpecie mirum in modum diſsentiant. Lacepede primus eam depinxit ſub falſo nomine teſtudinis orbicularis, et hinc ab aliis male varietas emydis europaeae habebatur. Neque tamen aquatilis eſt; ſed omnino terreſtris, et recte a cel. Latreille nova ſpecies dicta, juſto tamen breviori ſermone.

Caput globoſum, ſquamoſum, ore acuto. Maxillae ſerrulatae. Collum craſſum, breve. Teſta globoſa, luteſcens, punctis ſilaceis irregulariter adſperſa. Scutellum vertebrale primum quinquangulare, angulo antico acuto: ſecundum et tertium ſexangularia: quartum ſimiliter conformatum, poſtice anguſtatum: quintum ſubquadratum, poſtice angulato-arcuatum. Scutellum laterale primum circuli quadrantem aequat: ſecundum et tertium quinquangularia: quartum quadrangulum, verſus marginem exteriorem dilatatum. Bracteae marginales viginti tres, anticae aequales, laterales eiusdem magnitudinis, margine vix prominente, femorales paululum breviores: bractea poſtica in angulum obtuſum protracta. Sternum intime cum teſta conjunctum, in duodecim areas diviſum, in ſpecimini-

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

bus muſei Pariſienſis nondum clauſum. Pedes ſquamoſi, palmarum unguibus quinque, plantarum quatuor. Cauda craſſa exſerta, apice corneo.

Menſurae.

| | | |
|---|---|---|
| Longitudo capitis | — | 7 lin. |
| Longitudo teſtae | 2 poll. | 2 lin. |
| Longitudo ſterni | 2 poll. | — |
| Longitudo caudae | — | 3 lin. |
| Latitudo capitis | — | 6 lin. |
| Latitudo teſtae | 1 poll. | 7 lin. |
| Latitudo marginis ſterni antici | — | 6 lin. |
| Latitudo medii ſterni | 1 poll. | 6 lin. |
| Latitudo marginis ſterni poſtici | — | 5 lin. |
| Altitudo teſtae | 1 poll. | — |

§. 26.

Spec. 17. Teſtudo gigantea.

Caput globoſum, ſquamoſum, maxillis ſerrulatis, parum uncinatis. Collum craſſum. Teſta convexa, cylindracea, fuſca, antice complanata et poſtice declivis. Scutellum dorſale primum quadrangulare, margine antico arcuato: ſecundum, tertium et quartum ſexangularia: quintum pyramidale, ventricoſum, poſtice latiſſimum, margine curvilineo. Scutellum laterale primum circuli quadrantem aequat: ſecundum, tertium et quartum quinquangularia. Bracteae viginti tres marginem conſtituunt, quarum duae anticae obliquae, in commiſſura anguſtatae, ceterum proximis ſimiles: bractea caudalis gibboſa. Scutella omnia laevia, ſine ullo ſulco.

Margo teſtae lateralis rotundatus ſuturis oſſeis cum ſterno conjungitur, quod utrinque anguſtatum, in duodecim areas diviſum. Pedes clavati, ſquamis numeroſiſſimis,

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

latis ac robuſtis muniti, unguibus palmarum quinque, plantarum quatuor. Cauda craſſa, non exſerta.

Menſurae.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Longitudo capitis - - - - - - - - - | | 4 poll. | — |
| Longitudo colli protracti - - - - | | 1 poll. | 10 lin. |
| Longitudo teſtae - - - - - - - - | 2 ped. | 4 poll. | — |
| Longitudo ſterni - - - - - - - - | 1 ped. | 7 poll. | 8 lin. |
| Longitudo caudae - - - - - - | | 2 poll. | 6 lin. |
| Latitudo capitis - - - - - - - - | | 2 poll. | 6 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello ſecundo dorſali | 1 ped. | — | 10 lin. |
| Latitudo teſtae in ſcutello quarto dorſali | 1 ped. | 1 poll. | 6 lin. |
| Latitudo marginis teſtae in ſcutello dorſali antico - - - - - - - - - - - - | | 10 poll. | 6 lin. |
| Latitudo marginis teſtae in ſcutello dorſali poſtico - - - - - - - - | | 10 poll. | 8 lin. |
| Latitudo lobi ſterni antici - - - - - - | | 6 poll. | 9 lin. |
| Latitudo medii ſterni - - - - - | 1 ped. | — | — |
| Latitudo lobi ſterni poſtici - - - - - - | | 7 poll. | — |
| Altitudo teſtae - - - - - - - - - - | | 9 poll. | — |

## Caput IV.

### Illuſtratio ſynonymorum.

§. 1.

Spec. 1. Trionyx ferox Penn.

The ſoft ſhelled Tortoiſe Penn. Philoſ. Transact. Vol. 61. Pars I. p. 266. tab. 10. fig. 1. 2. 3. — Penn. Suppl. of Arctic Zool. p. 78.

Hinc derivandae omnes huius ſpeciei deſcriptiones, quae nunc exiſtunt:

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

Trionyx Georgicus. Deux calloſités, la queüe presque auſſi longue, que l'extrémité de la carapace. Geoffr. annal. du muſ. d'hiſt. nat. XIV. pag. 17.

Teſtudo ferox, (la tortue de Pennant) lorica dorſali fuſca, coriacea, antice et poſtice tuberculoſa. Daud. rept. II. 69. VIII. 308. — Fierce Tortoiſe Shaw Gen. Zool. III. p. 64. tab. 17. — Schoepf. teſt. p. 88. tab. 19. — Gmel. ſyſt. nat. 1039. — Schneid. Schildkr. p. 330. Excludenda ſynonyma auctorum, quae omnia ad Trionychem aegyptiacum pertinent.

Teſtudo mollis, digitis membrana unitis, teſta monophylla, in medio oſſea, margine cartilagineo ſcabro, naribus tubuloſis. Bonat. Erpet. p. 25. tab. 5. fig. 3. — Lacep. quadr. ovip. p. 136. excl. ſyn. Boddaert. (Trion. aegyptiacus.) *) — La tortue molle Latr. rept. I. 164. II. 291.

*) teſtudo verrucoſa Bartr.

The great ſoft ſhelled Tortoiſe Bartram Travels trough North and South Carolina. Philadelphia 1794. p. 175. tab. 4. 5. — Magaz. d. Reiſebeſchr. 10 Bd. p. 172. c. fig.

Quem auctorem omnes ſecuti ſunt.

Chelys ſpec. nov. Geoffr. annal. du muſ. d'hiſt. nat. Tom. XIV. p. 18.

Teſtudo Bartrami, cartilaginea, mollis, pedibus digitatis, digitis quinque unguiculatis, naſo elevato, maxilla inferiore cirrhoſa, cirrhis retractilibus. Daud. rept. II. p. 74.

Teſtudo verrucoſa. Schoepf. teſt. p. 90.

§. 2.

Spec. 2. Trionyx aegyptiacus Geoffr.

1. Animal adultum, ſiccum.

Truncus orbicularis, ſuperne convexus, diſcus oſſeus

*) In parentheſi addimus nomina ſpecierum, ad quas perperam citatae pertinent.

Digitized by Google Original from PRINCETON UNIVERSITY

ovatus, lineis longitudinalibus ſcaber, criſta tuberculoſa humili ſupra vertebras: ſternum laeve, quatuor in locis ſcabriuſculum: adpendices ſubparallelae.

Trionyx aegyptiacus. Quatre calloſités: carapace peu convexe: les deux appendices antérieurs très écartés l'un de l'autre et parallèles. Geoffr. annal. du muſ. XIV. p. 12. c. fig. viv. anim. et teſtae cum ſterno.

Teſtudo triunguis Forsk. faun. arab. pag. 9. — Gmel. ſyſt. nat. 1039. — La tortue tirſe Bonat. Erpet. p. 21.

2. pullus maior.

Truncus ovalis, demiſſe convexus, lineis elevatis longitudinalibus, quarum duae vertebrales carinam ſpuriam conſtituunt.

a) Trionyx a Boddaerto deſcriptus.

